




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
345 H 21 [1]





Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.

Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.

345 H 21 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
345 H 21 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
345 H 21 [1]

3)

METHODI
CARTESIANÆ

Consideratio

THEOLOGICA;

AUCTORE

IACOBUS REVIO, S. S. Theol.
Doct. & Collegii Theol. Præpott.
Ordd. Hollandiæ & West-
Frisiæ Præfecto.



EVGD. BATAVORVM,
Apud HIERONYMUM de VOGEL,

CLC. LXXVIII.

DEO OPT. MAX.
DEO FORTI, ZELOTÆ,
CAUSÆ SUÆ VINDICI,
NOMINIS ASSERTORI,
VERITATIS PROTECTORI,

HOC OPUSCULUM,
EIVS HONORI TVENDO ELVCV-
BRATVM, SACRVM VOTVM,
QVE ESTO.

Christianis Lectoribus

Salutem.

Quid recti aut pravi Methodus
Cartesia portet
Discite, non inter streperæ convicia
linguae,
Cum furit insanis acies clamoribus,
& cum
Impatiens animi male verum exami-
nat ardor,
Verum hic composita mecum disquirite
mente.

EXcitavit non ita pridem e-
ruditorum studia Renatus
Cartesius, elato signo Novæ
Methodi, cujus beneficio,
tum reliqua omnia, tum imprimis fun-
damentum illud omnis religionis, *Esse*
Deum, à nemine adhuc, ut putat, rite
demonstratum, se eruere, ac in tuto
locare posse, professus est. Eo ut per-
veniat, & nos quasi injecta manu du-
cat, vult primo de Deo dubitari, imo

* 2

ad

ad tempus eum negari, & quæcunque
ejus testimonia in rerum universitate
extant, pro somniis & ludibriis haberi:
postquam autem, absterfo quasi scoto-
mate, suo quodam, atque à se excogi-
tato commento ad Dei existentiam se
pervenisse censer, ita abnormes deinde
ex ea opiniones neccit; ut nusquam
melius mihi quadrare videatur lauda-
tum nuper à viro quodam eximio di-
ctum Augustini de Manichæis: *Ea do-
cent excitatos, ut vel dormire semper satius
sit, quam illo modo evigilare.* Sed in abor-
tivos hujusce Methodi partus, suus erit
fortassis inquirendi locus: Nunc ip-
sam Methodum sua per vestigia per-
sequemur, donec ea nos ad Dei exi-
stentiam, si potest, perduxerit. Quod
dum agimus, non ambigimus fore à
quibus hoc nostrum institutum fannis
ac contumeliis excipiatur, & quidem
ex illo hominum genere, qui dum om-
nia præjudicia exuenda esse clamitant,
hoc unum tamen præjudicium depo-
nere nequeunt, *Cartesium vel errare non
posse, vel saltem nusquam errasse.* quod
nisi sentirent, non ita sollicitè res ab-
surdissimas & periculosissimas in ejus
scriptis notatas qualicunque colore
inducto

inducto sibi
quibus, siq
adversus ne
ipse, tantu
usque se de
eos hoc ut
tionum hi
rum. Atq
d, si libet,
nihil intellig
tantum: &
perpetuo
dorum
re: quæ
et. Ver
micos die
ista, & de
dicia, qua
Novim
cuta no
tamen
malig
gare, qu
in ea qua
triv à r
ferre del
opera
scripta
mus, vi

inducto sibi defendendas putarent. E
quibus, siquæ forte illius patrocini-
um adversus nos suscepturi sunt (nam ut
ipse, tantus suo judicio Dictator, eo-
usque se demittat, vix est ut speremus)
eos hoc unum moneo uti cogitent, ra-
tionum hic certamen cerni, non nuga-
rum. Atque illud imprimis compen-
di, si libet, facient, *Nos nihil hic videre,
nihil intelligere, dolii inanis instar tinnire
tantum*: & quæ plurima id genus ita
perpetuo in ore habent, ut dicas te Iu-
dæorum Pontificem detönantem audi-
re: *ὐμῶν ἐκ ὀιδώτε ἐδὲν, ἐδὲ διαλογίζεσθε
κλ'*. Verum enimvero (quod inter a-
micos dictum sit) ventosa, vana sunt
ista, & depositæ plerumque causæ in-
dicia, quæ aliis armis se tueri nequit.
Novimus, per Dei gratiam, quam
curta nobis sit ingenii supellex: scimus
tamen mediocriter quid *Deus*, quid
malignus genius, quid *dubitare*, quid *ne-
gare*, quid *somnus*, quid *vigilia* sit. ut
in ea quæ de hisce rebus Cartesius effu-
tavit à nobis inquiri non tam moleste
ferre debeant. Doceant ergo (siquod
operæ pretium facere volunt) vel non
scripta esse à Cartesio quæ sugilla-
mus, vel talia ea esse quæ cum vera re-
ligione

ligione in una sede morari possint : &
Minerval eis debebimus. Sin hæc de-
clinent, & obtrectando quam dispu-
tando se tutiores putent, sciant nos il-
liberali illo agendi modo ab incepto
dimoveri non posse, neque commissu-
ros, ut per nostram socordiam lolium
illud in animis juventutis nostræ radi-
ces agat, ac tandem ecclesiæ intima
perturbet. Aliud erit, sicubi nos, aut
à mente adversarii aberrasse, aut eum
per imprudentiam perperam vellicaf-
se, non dixerint modo (quod facile
est) sed ratione evicerint. ea siquidem
re nihil nobis poterit accidere opta-
tius, hac tamen servata lege, primo,
ne ex eo causæ quam agimus (quæ non
nostra sed ipsius Dei est) præjudicium
creetur: deinde, ut quod humanitus
forte peccatum est, humaniter quoque
castigent. Maxime, cum ipsi scripta
sua ab omni errore libera præstare nec
ausint, nec revera possint. Liceat no-
bis hic uti oratione celebris cujusdam
ac facundi viri, qui in causa non absi-
mili, modeste se excusans, *Vt homines,*
inquit, errare potuimus IN NONNVLLIS,
non tamen potuimus IN OMNIBVS.
quod ejus effatum mire congruit adju-
rationi

ationi R. Benjamin, insertæ prolegomenis ὀδυσσογίας Μωσὶς Kimchi :

וּאֲנִי מִשְׁבִּיעַ כָּל קוֹרְאֵי בִזְאוֹר
הַקְּדָמָה וַיִּמְצָא בּוֹ שְׂגִיאוֹר
בְּפִרְטָיו יִדְיִנְנִי לִכְף זְכוּר
בְּרֵאוֹת כִּלְלוֹ כִּי אִם בְּפִרְטָיו
שְׂגִיאוֹת אֲנִי יוֹדֵעַ בְּאֵמֶת כִּי
בְּכִלְלוֹ אֲמִיתִיּוֹת :

Id est, si sensum spectes: *Adjuro omnem*
qui hoc proœmium lecturus est, si in parte
ejus aliqua deprehenderit errores, ut secun-
dum me det litem, consideratâ rei summâ.

Nam si in membro ejus aliquo sit vitium, ta-
men certo mihi constat, integrum corpus recte
se habere. Idem de opusculo hoc meo
confido in Domino me asseverare pos-

se. Vestrum autem, Christiani Lecto-
res, erit judicium. VALETE. LVGD.
BAT. VII I. KAL. DEC. Anno 2.
ἐπιστολῆς ὀδυσσογίας c10 I 0 c XLVII.

Andree

Andræ Alciati Emblema LXIX.

Quod nimium tua forma tibi NARCIS-
SE placebat,
In florem, & noti est versa stuporis olus.
Ingenii est MARCOR cladesque Φιλαυτία,
doctos
Qua pessum plures datque deditque viros:
Qui veterum abjectâ METHODO, nova
dogmata quarunt
Nilque suas præter tradere PHANTA-
SIAS.

Id græce sic conabamur vertere.

Ηὐτ' ἄρα γὰρ ἰδίῃ ΝΑΡΚΙΣΣΕ σοὶ ἤνδανε μορ-
φή
Εἰς ΝΑΡΚΗΣ ἔλαθες ἄνητος ἀμειβόμενος.
Νάρκη τ' φρενός ἐστι ΦΙΛΑΥΤΙΑ, ἡ μάλιστα
πολλῶν
Ἀνδρῶν ἐκλογίμων σίνετα ἐνφυΐαν,
Οἷς ἀρετέρων ΜΕΘΟΔΟΣ διασύρεται, εἰδὲν
πάντα
Τῶν ἰδίων ἔξω ἤνδανε ΦΑΝΤΑΣΙΩΝ.

ME-

Renus des Cartes, Dissertatione de Methodo recte utendi ratione, & veritatem in scientiis investigandi, se in eas cogitandi vias incidisse ait, per quas non difficile fuit pervenire ad cognitionem quarundam regularum, sive axiomatum, quibus constet Methodus, ut ex progressu quem in veritatis indagatione jam fecisse arbitretur, summa voluptate perfundatur; talemque de iis quae sibi quaerenda restent, spem conceperit, ut, si inter occupationes eorum qui **MERI HOMINES** sunt, quadam solide bona & **SERIA** detur, credere aufit, illam eandem esse quam elegit. Method. p. 2.

Ejus Methodi tales se fructus degustasse, ut nec suaviores ullos, nec magis innocuos in hac vita decerpi posse arbitretur. Cumque illius ope quotidie aliquid detegeret, quod & vulgo ignotum, & alicujus momenti esse existimabat, tanta voluptate animum suum impletum, ut nullis aliis rebus affici posset. ibid. p. 25.

Se quandam excoluisse Methodum ad **QUASLIBET DIFFICULTATES** in scientiis resolvendas. Medit. de prima philos. pag. (* *) 4.

Demonstrationes (quas ejus ope invenit) tales esse, ut non putet ullam viam humano ingenio patere, per quam meliores inveniri **VNQVAM POSSINT**. ib. versa p.

Sperare

Consideratio.

3

Sperare se, veritatem eorum **OMNIVM** de quibus in philosophia solet disputari, tam clare esse expositurum, ut quicumque illam quaerent, **PERFACILE** ipsam ibi sint inventuri. Ep. ad Dinetum p. 165.

Posse se, intenta & saepius iterata meditatione efficere, ut habitum quendam **NON ERRANDI** acquirat. imo fieri plane **NON POSSIT** ut erret. Didicisse se, non tantum quid sibi sit cavendum, ut **NVNQVAM FALLATUR**, sed simul etiam, quid agendum, ut **ASSEQVATUR VERITATEM** (in omnibus videlicet, ut ex oppositione perspicuum est) Meditat. 4. p. 61.62.

Methodum hanc non esse novam. Medit. p. (* * *) 4. sed omnium **ANTIQVISSIMAM**, quia verissimam. Not. ad Septimas Object. p. 19. Philosophiam suam non esse novam, sed omnium maxime antiquam & **VVLGAREM**. Princip. Philos. p. 305. Nam, quantum ad principia, ea se tantum admittere, qua omnibus omnino Philosophis **COMMVNIA** fuere, suntque idcirco omnium antiquissima, & qua deinde ex iis deducit, jam ante in ipsis contenta & implicita fuisse, tam **CLARE** à se ostendi, ut etiam antiquissima, uspote **HVMANIS MENTIBVS A NATVRA INDITA**, esse appareat. Epist. ad Dinetum p. 171.

Hisce elogiis non obstantibus, tanquam in re crepera se recolligens, ait: Me vero

A 2

fortasse

4 *Methodi Cartesiana*
fortasse fallit opinio, nec aliud est quam
ORICHALCVM & VITRVM, quod pro
AVRO & GEMMIS hic vendito. Sed in
hoc libello declarare institui, quales vias in
veritate inquirenda secutus sim, & vitam
omnem meam tanquam in tabella delineare.
Nequis igitur putet me hic traditurum ali-
quam Methodum, quam unusquisque sequi
debeat ad recte regendam rationem; illam
enim tantum quam ipse secutus sum propo-
nere decrevi. Cum autem hic nihil aliud
promittam, quam historia, vel si malitis
FABVLÆ narrationem, qua inter NON-
NULLAS res quas NON INVILE erit
imitari, PLURES alia fortasse erunt, quæ
FUGIENDÆ videbuntur, spero illam ali-
quibus ita profuturam, ut nemini interim
nocere possit. &c. Method. p. 2. versa, & 3.

Κείσιν.

In hisce duo consideranda veniunt: pri-
mo, magnificæ pollicitationes, deinde
trepida quasi fuga, qua eas omnes, ut par-
mulam miles, abjicit, & suspectas reddit.
Ad primum quod attinet, liquido patet,
eum Deo se similem facere, qui solus pri-
vilegium habet, omnia resolvendi, nun-
quam errandi &c. quodque periculosum
est homini pontificiarum partium, etiam
in Papæ usurpationes involare, qui sibi
int

Consideratio.

5

inter homines soli eam prærogativam vindicat, licet tantum in cathedra, & per peculiarem assistentiam Spiritus Sancti: at hic methodum invenit, qua id possit & in cathedra, & in scamno, & citra talem assistentiam. Si dicat, papam esse infallibilem in theologicis, se vero in philosophicis, respondebitur: 1. Etiam ad ipsam theologiam methodum hanc simbrias suas extendere, ut patebit in sequentibus. 2. duplicem illum papatum in ipso papatu hætenus ignotum fuisse, nec facile etiam inter philosophos inventum iri, qui cum sibi imponi patientur.

Conatur quidem hoc eludere Epist. ad Dinetum p. 46. ubi, cum ipsi objecta esset hæc jactantia, de mala adversarii fide conqueritur; *tanquam si*, inquit, *idem esset methodum excolere ad aliquid præstandum, & jactare, se illud omnino præstare posse.* Verum enim vero, inane est hoc effugium. nam 1. Quicquid tandem ipse possit, methodum suam ad id valere affirmat. 2. nec tantum de illa, sed & de se ipso loquitur, *ad quid videlicet præstandum methodum illam excoluerit, quid beneficio illius jam præstiterit, quid deinceps & speret, & possit.* 3. imo quid *præstituri* sint, & quidem *perfacile*, quicumque illa utentur. ut patet ex allegatis Locis.

Ad alterum ut veniamus, nempe trepi-

A 3

dationes

6 *Methodi Cartesiana*

dationes & dubitationes hujus pollicitato-
ris, rogo ut considerent lectores. 1. quam
parum conveniat, audenter credere, *solide*
bona esse ea, de quibus ambigas an sint
aurea an *area*, an sint *vitrum* an *margari-*
tum. Et quis merces hasce *audebit* emere,
quas ipse mercator pro sinceris *venditare*
non audet? qui ita insaniverit, audiet illud
Horatii: *Prudens emisisti vitiosum*. 2. Qui
pro methodo *SERIA*, historiam, vel si ma-
vis, *FABULAM* se edere profitetur, omnem
ei ipse fidem derogat. Porro, an philoso-
phi, pro methodo *inveniendæ veritatis*,
fabulam sibi, tanquam *pro virgine cervam*
obtrudi, æquo animo laturi sint, ipsi vide-
runt. saltem theologis hoc non licet, qui-
bus prohibetur, *Ne attendant FABULIS*,
1. Tim. 1. 4. qui jubentur *profanas & ani-*
les, FABULAS *aversari*: ib. 4. 7. prout
& culpantur illi, qui à *veritate quidem*
aves avertunt, ad FABULAS *vero diver-*
tunt. 2. Tim. 4. 4. quique *arte composi-*
tas FABULAS *sequuntur*. 2. Pet. 1. 16. sa-
ne, *arte compositam* hanc *fabulam* esse,
ipse ejus auctor, ut puto, non negaturus
est, *profanam* vero, utpote à vera pietate
abducentem, & *anilem* quoque, utpote
nec veram nec verisimilem, esse, brevi cura
bono Deo demonstrabimus. 3. Qui in
methodo sua alia imitanda, alia, & qui-
dem plura *fugienda* esse ipse suspicatur,
neque

neque quæ vel hujus vel illius notæ sint exponit, lectorem suum præmunit ne temere sibi fidem habeat: idque à prudentibus quidem facile impetrabit. Quomodo autem Methodus illa, in qua non pauca *fugienda* occurrunt, *nemini* (quod addit) *nocere* possit, rationē inire difficile est, cum *noxia* sola esse *fugienda*, omnibus constet.

Quod de *vetustate*, *vulgaritate*, *claritate*, *facilitate* suæ methodi & philosophiæ jactat, non cohæret cum ea *obscuritate*, quam ei idem inesse ita frequenter fatetur, ut eam sibi laudi ducere videri possit. *Principia* apud omnes *nota* cum primo evertere, mox precario iterum assumere non negamus, sed dogmata sua ita evidenter ex iis deduci, ut omnibus vel invitis assensum extorqueant (quod in tallibus usu venit) non videmus. Nam nec ulli antiquo philosopho aut theologo ea in mentem venerunt, nec recentioribus plerisque, licet doctissimis, & Cartesio amicissimis probantur. Imo, quod mireris, ipse Cartesius in Dedicatoriâ, principiis suis philosophicis præmissa profitetur, se *VNICAM* serenissimam principem Elizabetham Boëmiæ regis filiam natu maximam, (cui opus id inscripsit, quamque summi honoris causa nomino) hætenus invenisse, quæ tractatus antea à se evulgatos perfecte omnes intelligeret. *OBSCURISSIMI enim*, inquit,

A 4 pleris-

8 *Methodi Cartesiana*
plerisque aliis etiam MAXIME INGENIOSIS
& DOCTIS, esse videntur. & mox: SOLUM
agnosco ingenium tuum, cui omnia aequae
perspicua sunt, &c.

Ab sit sane, ut vel minimum laudibus tantæ heroinæ detritum velim, sed, vel laus perexigua est, illam ei cognitionem tribui, quæ HUMANIS MENTIBUS indiscriminatim PER NATURAM INSITA est, vel adulatio erga sapientissimam principem, & injuria adversus reliquum genus hominum, inaudita, si omnes sensu communi carere, & quæ à natura animis suis insculpta sunt ignorare, præter solam ejus serenitatem pronuncientur. Qua porro fronte de *vulgaritate* suæ methodi gloriari audeat, qui præfatione Meditationum suarum, profiteretur, se viam in ea tam *parum tritam*, atque *ab usu communitam remotam* sequutum esse, ut non utile putarit ipsam in Gallico, & passim ab omnibus legendo scripto fusius docere, ne debiliora etiam ingenia credere possent eam sibi esse ingrediendam? Sed mutavit hac in parte nuper velificationem Cartesius, & Meditationes suas Gallicè edi non solum consensit, sed & ut id fieret desideravit, & precatus est, ac ut hac in parte inconstantia suæ nota obliteraretur, totam illam præfationem è Gallica editione sustulit. Atque hæc ad ea quibus suam Methodum vendibiliorem facere
annifus

annifus est Cartesius, dicta sufficient. Nunc ipsam suis quasi gradibus distinctam ad partes vocemus.

C A P V T II.

Primus Methodi gradus: Cartesius omnia quae in scholis docentur didicit, omnes bonos libros legit, omnes facultates, linguas, historias &c. pervolutavit, etiam doctrinas malas, vanas, falsas, curiosas, superstitiosas, ipsas magorum imposturas. idem aliis commendat. Falsitas hujus narrationis ostensa, è temporis brevitate, ipsius Cartesii confessione, experientia. Consilium ejus ne papistis quidem probatum. impossibile. sacris literis vetitum. bonis moribus exitiosum. ac ut tale ab ipsius auctore alibi damnatum.

AB ineunte etate se ad literarum studia animum adjecisse dicit. & in una ex celeberrimis totius Europa scholis **OMNIA DIDICISSE** (ita est in Gallico) quibus alii ibidem imbuebantur. Nec contentum scientiis, quae docebantur, **OMNES** (& hoc in Gallico est) libros curiosiora & à vulgo remotiora tractantes, quotquot in manus

A 5 ipsius

ipſius incidere potuiſſent, evolviſſe. Method.
p. 3. 4.

Inter ea quibus operam dederat in ſcholis, refert *linguas, fabulas, historias, OMNIVM* (ita eſt in Gallico) *bonorum librorum lectionem, eloquentiam, poëſin, mathēſin, ethicam, theologiam, philoſophiam, jurisprudentiam, medicinam & ſcientiarum reliquas.* p. 4. 5.

Curioſis ſcientiis annumerat *MALAS doctrinas* (ut eſt in gallico) vel *maxime VANAS & FALSAS* (ut eſt in latino) *qualia ſunt promiſſa Alchymistarum, prædictiones aſtologorum impoſtura Magorum.* p. 8.

Bonum eſſe ait (ita eſt in Gallico nam in latino hæc nonnihil interpolata ſunt) *omnes ſcientias examinariſſe, etiam maxime ſuperſtitioſas & falſas, ut juſtum earum valoreſſe poſſimus, cognoscere, & cavere ne ab eis fallamur.* Method. gall. p. 8. lat. 5.

Κεῖςις.

Hic duo habemus: 1. quid egerit Cartesius. 2. quid in eo probet.

1. Omnes artes & linguas didicit, & omnes libros qua bonos qua malos, quotquot nauciſci potuit, evolvit. idque incredibili celeritate. quod ita demonſtro: Cum methodum ſuam comminiſceretur tantum
yiginti-

viginti-trium annorum erat. p. 20. videamus quibus occupationibus illos annos impenderit. Primi aliquot anni exacti sunt sub ferula. illis non potuit vacare tantæ rei, sed tantum dictatis præceptorum excipiendis. Ponamus admissum fuisse ad publicas lectiones anno ætatis 15. supersunt ad annum 23. anni 8. ex illis aliquot insumit peregrinando, castra frequentando, mores hominum multorum & urbes visitando & in summa, in vasto mundi volumine studendo. p. 8. illi anni, quos ipse vocat *reliquum juventutis suæ* (Method. Gall. p. 11.) non pauciores potuerunt esse quam 5. superest (ad summum) triennium quod in academia exegit, & quo omnes artes, scientias, linguas didicit, omnes quos nancisci potuit libros evoluit, bonos, malos &c. Atque hic permissione D. Cartesii nobis utendum puto, legenda videlicet hæc non ut historiam, sed ut FABVLAM. nam primo, tantam omnium rerum scientiam libri ejus non præferunt, & ipse alibi fatetur, *se in legendis philosophorum libris nunquam valde multum temporis impendisse.* Meditat. p. 271. p. 475. idem fere de studiis suis theologicis profitetur. Epist. ad Voetium p. 268. *se rerum forensium ignarum esse.* Ep. ad Dinetum, p. 182. *Tawrellum & Gorlaum* (auctores in vulgus notissimos) *sibi ignotos esse.* &c. ut de linguis

aliquid addam, exhibeat specimen in græca, hebræa, Chaldæa, Syriaca, Arabica. nam ego eum ullam aliam linguam eruditam callere præter latinam, eamque tantum mediocriter, mihi persuadere non possum. ἰδὲ πόδῳ, ἰδὲ πύδῃ. secundo, licet vigor ingenii faciat ut quis uno quasi momento à terra ad cœlum, & ab oriente ad occidentem animo & cogitatione pervadat, non tamen facere potest ut quis horæ scrupulo sive minuto crassum librum perlegat, quod necessarium esset ad hoc ut quis triennio omnes devorare posset.

2. Quod bonum esse ait, OMNES scientias EXAMINASSE, etiam *superstitiosissimas, & falsissimas*, 1. opponit se suis papistis, qui ne s. scripturam quidem omnibus legendam permittunt, nedum libros quos ipsi pro falsis habent. Deinde rem impossibilem præscribit. nam qui omnes scientias, & omnes de iis libros *examinaturus* est, non solum obiter (quod in seqq. videtur velle) sed accurate eas cognoscere debet, ut rite de iis judicare possit. ad hoc autem tota hominis vita non sufficit. 3. rem suæ methodo exitialem comminiscitur. qui enim usque ad vitæ suæ periodum examinandis omnibus scientiis & libris occupatur, ei nihil temporis superit ad cognoscendam methodum Cartesianam. 4. in sacras literas incurrit, atque

que ideo theologis hac in parte sequendus non est. cæ enim ex verbis verè sapientium scientiam quærendam docent, non ex lectione omnium sine discrimine librorum. Eccles. 12. 14. *Potius ex istis, Fili mi, admonitus esto: faciendi libros multos nullus est finis, & lectio multorum fatigatio est carni.* nec vult libros malos & curiosos, quales sunt *Magorum* pervolutari, sed aboleri potius. ut factum Ephesi. Act. 19. 19. ubi *Multi ex eis qui CVRIOSÀ exercuerant, comportatos libros exusserunt in omnium conspectu. quorum supputatis pretiis repererunt denariorum quinquaginta milia.* s. sibi ipsi os batuit, nam Epist. ad Voet. p. 47. & seq. *malorum librorum nimis frequentem lectionem, non minus quam malorum hominum consortium, noxiam esse ait.* inter eos recenset libros improbos, nugaces, contentiosos, Atheorum, Libertinorum, Cabalistarum, magorum, aliorumve impostorum, quos contagiosos esse recte asserit, & adversario suo acerbè exprobrat, quod eos videri velit perlegisse. qua fronte? cum hæc sit prima pars methodi, ab ipso inventæ, & aliis, ut vidimus, commendatæ? & quid hoc est aliud, quam studiosæ juventuti commendare *malorum hominum* (ne dicam, *diabolorum*) *consortium*, eo prætextu, ut tanto postea melius sibi ab illorum dolis ca-
vere

vere possint? contra Psalm. I. I. I. Cor.
15. 33. &c.

CAPVT III.

*Secundus Methodi gradus: Cartesius omnia
quæ didicit examinat, excepta Theologia.
rationes cur illam excipiat: Quia coelum
etiam ignorantissimis pateat. quia extra-
ordinario Dei auxilio destituatur. quia
non sit plusquam homo. Excutiuntur hæc.
Theologia quam Cartesius revereri se di-
xit, non est alia quam papistica. nec eam
serio reveretur, sed re ipsa explodit & ab-
dicat. Ignorantissimos salvari falsum,
cum fides sit cognitio. auxilium ad theo-
logia examen requisitum, non est extraor-
dinarium, sed omnibus fidelibus commu-
ne. Examen theologia, ut ab hominibus
errandi periculo obnoxiiis traditur, neces-
sarium. Mala fides interpretis Methodi
Cartesiana castigata.*

UT primus methodi gradus fuit,
OMNIA DISCERE, ita secundum es-
se videbimus ea quæ didicit EXA-
MINARE. verum cum inter illa quæ didi-
cerat, ipsam quoque Theologiam recen-
suerit,

fuerit, de illa paulo aliter quam de philo-
sophia ac reliquis scientiis sibi loquendum
vidit. Age ergo, in antecessum de illa,
mox de cæteris videamus.

Theologiam nostram (inquit) *reverebar,*
nec minus quam quivis alius beatitudinis
ætæna compos fieri optabam. Sed cum pro-
certo & explorato accepissem, iter quod ad
illa ducit, non minus IGNORANTISSI-
MIS (ita est in Gallico) *patere quam do-*
ctissimis, veritatesque revelatas qua eo dis-
cunt (& hic Gallicum textum, qui aucto-
ris est, sequimur) captum nostrum excede-
re, non fuisset ausus eas submittere imbe-
cillitati ratiocinationum mearum, & cogi-
tabam, ut quis eas examinare velit, & co-
natus sui exitum inveniat, requiri extraor-
dinarium quoddam cœli auxilium, & plus-
quam hominem eum esse oportere.

Κεῖσιν.

I. Quum dicit *Theologiam NOSTRAM,*
non aliam quam pontificiam intelligere
potest. Illam enim, & non aliam, IN
SCHOLIS didicit. p. 4. §. & quidem JESUI-
TICIS. nam Jesuitas vocat *præceptores AD-*
HVC suos, & TOTIVS sua prima ætatis
institutores VNICOS. Epist. ad Dinet. p.
147. quanquam nec Sorbonistas minori
elogio exornet, Epist. Dedicat. suarum
Meditat.

Meditat. ubi eos *maximum Ecclesia Catholica columen semper fuisse ait*, atque eo nomine ipsorum patrociniū exhibit. In summa, omnia sua *Ecclesia Catholica iudicio submittit*, Princip. phil. p. 310. quæ sane non patietur eum aliam theologiam quam suam REVERERI. 2. Theologiam, utcumque sumatur, verbo quidem *revere-ri*, in animo autem pro certo & explorato habere, vitam æternam ab *ignorantissimis* obtineri posse, est irridere theologiam, non revereri. quum ad salutem nihil interesse statuatur, cognoscas eam an ignores. Quo ipso argumento theologia prorsus exploditur, & una cum reliquis abdicanda censetur. quis enim ejus usus est, nisi cognoscatur? & quid movit Iesuitas, ut eam Cartesium docerent, vel Cartesium ut eam ab illis disceret, si id totum inutile & inane sit? denique cui bono eam Cartesius retinebit, si ea ignorata salvus esse potest? Porro falsissimum est quod sumit. *Sine fide enim nemo salvatur. Marc. 16. 16. at fides est cognitio. Ies. 53. 11. Ioh. 17. 3. & damnabuntur omnes qui Deum ignorant. 2. Thess. 1. 8.*

3. Licet *veritates* ad cælum ducentes supra captum nostrum sint, nec ratiocinationibus nostris subjiciendæ, tamen τὸ ὅτι saltem earum cognoscendum est, alioqui neminem ad salutem adducent, cum *ve-*

1477

rum dicat *habitudinem ad intellectum*. ut notum est. qui tamen intellectus sub obsequio earum veritatum captivandus est. 2. Cor. 10. 5. Hoc pulcre explicat ipse Cartesius, Principiorum p. 33. ubi ait: *Ea qua nobis à Deo revelata sunt, ut omnium certissima esse credenda; Et quamvis forte lumen rationis, quam maxime clarum & evidens, aliud quid nobis suggerere videretur, soli tamen auctoritati divinae potius, quam proprio nostro iudicio, fidem esse adhibendam.* optime. sed profecto, quibus veritas à Deo revelata est, illi ignorantissimi non sunt, ut nec qui ei, posthabito proprio iudicio *fidem habent*. hæc simul consistere non possunt.

4. Ut illæ veritates *salutariter* à nobis cognoscantur, auxilium Spiritus Sancti requiri, nosque plusquam homines (prout Christiani dicuntur plusquam homines .i. plusquam homines animales) esse oportere, libenter damus, at auxilium hoc, respectu fidelium (inter quos Cartesius nomen profitetur suum) *extraordinarium* esse, negamus. Omnibus enim eæ veritates quæ ad salutem sunt necessariae à Deo patetunt, modo diligenter scripturas scrutentur. Iohan. 5. 39. & auxilium Spiritus Sancti implorent. Luc. 11. 13. confer Psal. 1. 2. Act. 17. 11.

5. Licet Theologia, ut in s. scriptura
repe-

reperitur, pie credenda, non curiose examinanda est, tamen prout ea traditur ab hominibus errandi periculo obnoxiiis (quales haud dubie sunt Iesuitæ & Sorbonistæ) omnino examini subjicienda est, nisi sponte errare velimus. quod adversario contigisse res ipsa indicat.

Cogor hoc loco, super fide latini interpretis libelli de Methodo, iudicium lectoris flagitare. Is enim pro *ignorantissimis*, qua voce Cartesius usus erat, substituit *indoctos*. quasi illius sensus sit, tam illiteratos quam literatos, modo credant, salvos esse posse, quod verum est, sed nihil ad Cartesium. is enim rationem reddit, cur theologiam examini, ut cæteras scientias, subicere noluerit, hanc videlicet, quia eam, citra salutis periculum *ignorare* liceat, non autem hanc, quia *illiteratis* cœlum pateat. neque enim quicumque theologiam *examinare* renunt, ideo sunt *illiterati*, ut patet in ipso Cartesio. neque omnes *illiterati* id refugiunt, sed multi diligentissime in eo versantur, ac veritatum quæ ad salutem ducunt *callentissimi* sunt. 2. Cor. 1. 26. Deinde idem interpres ultima verba hujus paragraphi, prout ea de Gallico auctoris expressi, ita vertit: *Et quicumque iis (veritatibus revelatis) recognoscendis atque interpretandis vacare audent, peculiari ad hoc Dei gratiâ indigere.*

ad

ac supra vulgarium hominum sortem positi esse debere mihi videbantur. Quæ verba ita sumi possunt, ac si velit, eos qui theologiæ explicandæ vacant, peculiaribus ad hoc donis instructos esse, & supra vulgus indoctum eminere debere. quod nemo negat. sed prorsus alius fuit auctoris sensus cum Gallice scriberet, ut vel cæco pater. Nam non de *recognoscenda & explicanda* scriptura agebat, sed de ea *privatim* (ut in reliquis scientiis se fecisse profiteretur) *examinanda & dijudicanda*. neque de iis donis per quæ qui hoc facere instituant, supra *vulgarium hominum* sortem positi esse debeant, sed supra sortem *hominum* absolute, .i. supra eos qui sunt *meri homines*, ut loquitur Methodi p.2. Tale etiam est, quod pro *auxilio cæli extraordinario*, substituit, *peculiarem ad hoc Dei gratiam*, quod multo mollius sonat, & nihil ad rem facit. Licet enim gratia ad hoc requisita *peculiaris* sit fidelibus, non sequitur tamen respectu eorundem *extraordinariam*. atque ideo non omnibus qui salvi fient communem esse, quod intendebat D. Des Cartes, ut se onere examinandi Theologiam tuto supersedere posse significaret. Omnino de industria involutus est ab interprete totus iste paragraphus, eo fine, ut pontificiorum dogma de laïcorum ignorantia, sive implicita fide (quod in Gallico

lico textu pellucet velut laterna Punica)
nonnihil occultaretur. Atq; hæc de Theo-
logia.

CAPVT IV.

Examen Philosophiæ. Nihil in ea Cartesius invenit, quod non sit dubium. idque, quia de omnibus disputetur. Nullam præsertim veram solutionem dari è propriis principiis philosophiæ Peripatetica. Nihil quoque solidum esse in reliquis scientiis. quæ proinde non sint vera scientia. Expenduntur hæc, & per consequentiam Cartesianam omnia incerta fieri, etiam Theologiam scholasticam, etiam orthodoxam, etiam s. scripturam. denique ipsius Cartesii philosophiam, ostenditur. quatuor Cartesii contradictiones. Invectiva ejus in artem Logicam castigata. de Methodo Mathematica. de usu causa finalis.

DE Philosophia ait: *Nihil adhuc in ea reperiri, de quo non in utramque partem disputetur (in Gallico tantum est: de quo non disputetur.) hoc est, (Gallicus textus habet: & per consequens) quod non sit dubium & incertum. Method. p. 7. De Philosophia Peripatetica nominatim,*

natim, ne unius quidem quaestionis solutionem, ope principiorum Peripatetica philosophia peculiarium, datam unquam fuisse, quam non possit demonstrare esse illegitimam & falsam. Epist. ad Dinetum p. 169. Et moneo (inquit deinde) ne captioni locum relinquam, loquendo de principis Peripatetica philosophia peculiaribus, me excipere illas quaestiones, quarum solutiones desumpta sunt, vel à sola experientia, omnibus hominibus communi; vel à consideratione figurarum & motuum, quae Mathematicorum propria est; vel denique in Metaphysicis à communibus illis notionibus, quas à me admitti, ut & precedentia, ex Meditationibus meis apparet. ib. p. 170.

Quod ad ceteras scientias, quoniam à philosophia principia sua mutuantur, nihil illas valde solidum (in Gallico est, nihil solidum) & firmum tam instabilibus fundamentis superstruere potuisse arbitratur. Method. p. 7. hinc eas omnes scientias non veras vocat. p. 8.

Κείσις.

Si hæc consequentia procedit, 1. nihil certi erit in tota rerum natura, cum nihil sit de quo non disputetur, aut disputari possit. 2. nihil certi erit in Theologia Scholastica, nam tota disputatur. videatur
vel

vel sola summa Thomæ. 3. nec in s. scriptura, aut theologia orthodoxa, nam contra utramque disputatur. 4. nec in philosophia Cartesiana, nam & de illa acerrime jam disputatur. Hæc ergo ratio & philosophiæ, & theologiæ, & omnibus scientiis, etiam Cartesianis, exitium minitatur, ac scepticam omnium rerum ἀκαταληψίαν inducit, cui nullus hominum, ne Cartesius quidem mederi possit. nemo enim quicquam scribere aut excogitare poterit, contra quod non possit disputari.

Consideret jam lector quomodo hæc cohæreant cum iis quæ de credendis iis quæ à Deo revelata sunt, *quamvis forte rationis lumen quam maxime clarum & evidens, aliud quid nobis suggerere videretur*, tam magnifice cum deprædicantem audivimus è Princip. Phil. p. 33. nam si dubium & incertum est omne illud *de quo disputatur*, ut hic supponit, oportet etiam ea quæ à Deo revelantur incerta reddi ac dubia, simulac rationis lumen *contrarium videtur suggerere*. Neque est quod effugium quærat in voce *videri*, nam fieri non potest quin is cui *videtur* (licet falso) *rationis lumen clarum & evidens* adversari iis quæ à Deo revelata sunt, iis obmurmuret, & contra disputet.

Consideret deinde, quomodo hæc conciliari queant cum eis quæ habet, Method.

thod. p. 4. *Omniem bonorum librorum lectionem eodem fere modo nobis prodesse, ac si familiari colloquio præstantissimorum totius antiquitatis ingeniorum, quorum illi monumenta sunt, uteremur: Et quidem colloquio ita præmeditato, ut non nisi optimas, Et selectissimas quasque ex suis cogitationibus nobis declarent. Hæc si conferantur cum iis quæ ex p. 7. citavimus, sequeretur, optima & præstantissima totius antiquitatis ingenia, in præmeditatis suis, optimis & selectissimis cogitationibus, nihil unquam nisi dubium & incertum protulisse, atque ita eorum lectionem ad nihil prodesse, & si sequamur comparationem quam hic Cartesius instituit, nihil quoque prodesse præstantissimorum virorum colloquia, sed ab iis prorsus abstinendum esse.*

Consideret tertio, cum fateatur, esse apud Aristotelem veras quæstionum solutiones, quotquot desuntæ sunt vel ab experientia, vel à figuris & motibus, vel à communibus notionibus, qua fronte, nisi ferrea, dicere possit, *nihil in philosophia esse quod non sit dubium Et incertum?* nam hæc quæ diximus cogitur excipere, quæ fortasse maximam partem constituunt. quomodo etiam principia peripateticæ philosophiæ hic ab aliis distinguat, si omnem, etiam aliorum philosophiam pro incerta

certa

certa & dubia, ut facit, traducat ?

Consideret denique, quo jure omnes scientiæ pro non veris à Cartesio habeantur, eo nomine, quia principia sua è philosophia mutuantur, quum tamen ipse fateatur in philosophia esse principia, & conclusiones etiam, quas ipse veras esse, pleno, ut vidimus, ore profiteretur. sed pergamus.

Studueram (inquit) *nonnihil, junior adhuc, inter Philosophia partes, Logica. Sed illam diligentius examinando, animadverti, syllogismorum formas, aliaque fere omnia ejus præcepta, non tam prodesse ad ea qua ignoramus investiganda, quam ad ea qua jam scimus aliis exponenda. Et quamvis revera contineat multa præcepta verissima & optima, tam multa tamen alia, vel noxia, vel superflua iis permixta esse, ut illa ab iis separare difficillimum sit, &c. Itaque loco magni illius numeri præceptorum è quibus Logica est composita, sequentia quatuor mihi suffectura arbitratus sum :*

Primum erat, ut nihil unquam veluti verum admitterem, quod non evidenter tale esse cognoscerem. &c.

Alterum, ut difficultates quas essem examinaturus in tot particulas (ita est in Gallico) dividerem, quot fieri posset, (hoc omisit latinus) & quot expediret ad illas melius resolvendas.

Ter;

Tertium, ut inciperem à rebus simplicissimis & cognitu facillimis, ut paulatim & quasi per gradus ad difficiliorum (hoc non est in Gallico) & magis compositarum cognitionem ascenderem. Supponens etiam ordinem quendam inter illas, quae se mutuo ex natura sua non precedunt.

Ac postremum, ut ubique facerem enumerationes ita integras, & recensiones ita generales, ut nihil à me omitti essem certus. Method. Gall. p. 18. 19. 20. Latin. p. 15. 16. 17.

Prima ex illis artibus (quibus Cartesius ait adversarium suum uti) est PVERILIS illa DIALECTICA, cujus ope olim Sophista, nullam solidam scientiam habentes, de qualibet re copiose differebant ac disputabant. Hujus tres praecipuae sunt partes, prima continet LOCOS, ex quibus rationes petantur; secunda FORMAS SYLLOGISMORVM, quibus illa vestiuntur, ut meliores appareant, ac tertia DISTINCTIONES, quibus argumenta adversariorum eludantur. Et quidem ii qui prompta & calida sunt imaginationis, sed NVLLIVS IVDICII, quales pueri esse solent, possunt intra paucos dies magnum istius artis usum acquirere: perfacile enim illis est considerare separatim rei cujuslibet propositae NOMEN, GENVS, SPECIES, SIMILITVDINES, DIFFERENTIAS, CONTRA-

B

RIA,

RIA, ADIVNCTA, ANTECEDENTIA, CONSEQUENTIA, & reliqua ejusmodi, quae vulgo in TOPICIS recensentur: cumque tantum volunt differere, si quicquid ipsis unusquisque ex istis locis suppediat, effutiant, diu multumque loqui possunt; si autem aliquam opinionem velint probare, nulla est tam parva verisimilis, pro qua non possint ex iisdem multas rationes, non quidem firmas, sed saltem quae numerum faciant, colligere, ac deinde, si sit disputandum, eas facile in SYLLOGISMOS concinnant. Possuntque eodem modo ad quaslibet objectiones respondere; si tantum sint instructi viginti vel triginta DISTINCTIONIBVS. quibus in omni difficultate locum inuenient, modo tantum ipsis audacterjuti non erubescant. Hoc autem ut facile est PVERIS, aliisque, qui sola pollent imaginandi facultate, sic certe fieri non potest ab ullo, qui aliquid habeat IUDICII sive BONÆ MENTIS. Omnes enim objectiones & rationum solutiones, quae cum ex intima ipsius difficultatis consideratione erui non possunt, ab externa locorum istorum inspectione petuntur, fere semper sunt futiles & ineptae. Sed quia ex multis auditoribus perpauca sunt, qui earum inanitatem advertant, praecipue circa quaestiones vulgaris philosophiae, de quibus meliores dari non solent, inde fit ut ii qui ARTE ISTA utuntur,

utuntur, facile ad aliquam doctrinam atque ingenii famam perveniant. Et ideo DAMNOSISSIMA est, non tantum adultis, sed precipue junioribus, qui dum ei assuescunt, & ex opinione doctrinam per ipsam acquisitam, superbiunt, rationem suam naturalem, quae alioquin aetate posset maturescere, plane corrumpunt. Epist. ad Voet. p. 68. 69. 70. 71.

Κεῖσιν.

Habemus petulantissimam invectivam in artem Logicam, quam & puerilem & damnosam, imo damnosissimam appellare non erubescit, eamque removet ab omnibus qui aliquid habent iudicii sive bonae mentis: cum tamen qui eam ignorant, nihil solidi in ulla scientia (ut constat inter eruditos) praestare possint. quid enim ille novit qui nec nomen, nec genus, nec specus, nec antecedentia, nec consequentia, nec causas, nec effecta rei &c. scire curat? quomodo quid consequens, quid inconsequens in hac vel illa arte sit iudicabit, qui vim syllogismorum, ut hic facit Cartesius, deridet? quomodo non omnia confundet, qui nihil novit distinguere? sed audiamus hominis rationes adversus artem ratiocinandi. Prima est, quia magis valeat ad ea quae jam scimus alius exponenda, quam ad ea quae ignoramus investiganda. si ita est,

perfecto puerilis non est ista ars, sed virilis potius. nam ut puerorum est discere, ita virorum docere. imo dictum hoc se ipsum jugulat. si enim utilis est ad docendum, utique & ad discendum. ubi enim aliquis docet, ibi & aliquis discit. 2. propter multitudinem præceptorum, quorum pleraque noxia sint. Et difficillime à reliquis separentur. Resp. Nec innumera præcepta habere Logicam veram, nec noxia, nec superflua. si qua talia sunt, nondum ab aliis animadversa, cur non ea beneficio methodi suæ convellit? nam difficultatem obtendere putidum est, in eo qui methodum habet qua omnes difficultates solvi possunt. 3. quia vel pueris facilis est. Resp. hæc ratio superiori è diametro repugnat. quomodo enim puero facile est, quod Cartesio, tanto artificio est difficile? & quæ insania est eandem rem rejicere & propter facilitatem & propter difficultatem? quid tam corrupto palato tandem sapiet. 4. quia rationem naturalem corrumpit. Resp. qui hoc dicit, nec probat, pro maledico calumniatore traduci meretur. quis enim non videt naturam arte expoliri, non autem corrumpi? ne in re tam fatua immoremur, quæro cur doctrinam universalium hic conculcat, quam alibi ut magnum quid ostentat? nam Principiorum philosoph. p. 22, 23. omnia Porphyrii

phyrii *predicabilia* μετὰ πολλῆς φαντασίας
 exponit. Cur doctrinam *sylogismorum*
 tam barbaro contemptu excipit, quibus
 tamen ipse (ut alibi agnoscit) quoties com-
 modum est utitur? & quam exacte no-
 tam habere debet qui *sophistarum* stro-
 phas enodaturus est? sed nimirum hæc
 expedita via est, lectoribus quicquid libet
 obtrudendi, si tales videlicet habeas qui
 quid consequens, quid inconsequens &
ἀσυνλόγητον sit ignorent. interim beabit
 nos, si novam Logicam fuerit commen-
 tus, in qua nihil de *sylogismo* agatur. Ve-
 rum, cum cogito, jam id fecit, quatuor
 illis *musteis* præceptis, quæ sola ad verum
 inveniendum sufficere arbitratur. de qui-
 bus ita censemus: Primum quod ponit,
 ut videlicet *nihil tanquam verum admit-*
tatur, de cuius veritate non evidenter con-
stet, probum quidem esse, sed cum organi-
 Logici despectu non posse consistere. quo-
 modo enim evidenter de rei alicujus veri-
 tate constabit (prima principia excipimus)
 nisi ea per legitimam consequentiam, quæ
 in solo *sylogismo* est, concludi possit?
 observa hic horribilem *methodeutæ* cæci-
 tatem. in nuda rerum cognitione, ut hic
 apparet, nihil vult admitti ut verum, quod
 non certo tale sit. idque *tam constanter* ait
observandum, ut ne semet quidem per to-
tam vitam ab eo deflectamus, Meth. p. 16.

recte omnino. at in praxi, ut videbimus in sequentibus, vel falsissima ait esse sequenda ac si verissima essent, saltem per provisionem, ut loquitur. & ad tempus. Secundum auctoris præceptum, non tollit *difficultates*, sed auget. cum eas in infinitas particulas frangat potius quam dividat. Tertium supponit, simplicissima quæque esse cognitum facillima, quod non facile concedent philosophorum filii. Neque quicquam facit iste canon ad auctoris scopum, cum artes omnes etiam *falsissima* hoc ut & quovis alio ordine describi ac addisci possint, nam & *falsa* composita possunt in seriem aliquam redigi. & ordo quidam fingi inter illa è quibus ille revera non est, fatente ipso Methodeuta. quomodo ergo hoc sufficit ei qui quærit *veritatem*? Quartum rem non dico difficilem, sed penitus impossibilem præcipit, ut videlicet (nam ita hunc canonem explicat Latinus) *tum in quærendis mediis, tum in difficultatum partibus percurrendis, tam PERFECTE singula enumerentur, & ad OMNIA circumspiciatur, ut NIHIL à se omitti sit certum.* qui enim hoc facturum est extra omniscium esse oportet, quod solius Dei est. progrediamur in auctore.

Longe illa (inquit) rationum omnino simplicium & facilium catena, quibus uti solent geometra, ut perveniant ad difficillimas

mas suas demonstrationes, ansam mihi dederunt imaginandi, ea omnia qua in hominis cognitionem possunt cadere eodem pacto se mutuo sequi; Et modo caveatur, ne qua recipiatur pro vera, qua non est, semperque debitus ordo ad unam ex aliis deducendam, nulla esse tam remota, ad qua tandem non perveniatur, nec tam occulta, qua non detegantur. Method. Gall. p. 20. Lat. p. 17.

bs KEIOT.

Quot verba hic sunt, tot fere argumenta contra auctorem Methodi. Si enim *rationibus* utuntur Geometrae, utique *rationantur*. nulla autem *rationatio* est sine vi syllogistica. Si *catena* instar eorum rationes se habent, firma in eis est *conexio*, non autem nudus ordo. Si *demonstrationibus* utuntur, utique syllogismis. nam *demonstratio* syllogismus est. Si cavendum est, ne ratio aliqua recipiatur quae *vera* non est; non sufficit nuda dispositio, ea enim, ut visum, vel in falsissimis esse potest. Si ordine debito *altera ex altera deducenda* est, non satisfacit coordinatio, sed requiritur probatio. Et hoc patet vel ex primo principio Cartesii: Cogito, ergo sum. nam *ergo* vim syllogisticam innuit, quae ita suppletur: Quisquis cogitat est: ego cogito, ergo Ego sum. ut Gassendo

do observatum. Quam feliciter autem Cartesio successerit Mathematicorum in hisce quæ tractamus imitatio, vel limis ejus philosophiam inspicienti apparet. multum enim abest, ut in Euclidis aut Archimedis demonstrationibus circulum, si-ve *διάκλον* (viciosissimum probandi genus) quis inveniat, quale in Cartesianis ostendit eruditissimus Gassendus p. 233. 234. Qui & eum, quod aliqua nova in Geometricis excogitasse putetur, eo adductum censet p. 6. ut consideret posse se circa cætera, ac Metaphysica præsertim, parvis esse felicitatis. Atqui tutius (ut idem ibidem monet) de Ptolemæo exemplum sumisset, is enim Mathematicen profecutus, dixit *se intactam Theologiam Physicamque relinquere, hanc ob materia conditionem instabilem, illam ob rerum divinarum incomprehensibilem naturam.* Nunc operæ pretium erit cognoscere stupendam hominis *ελογίαν*, qua argumento à causa finali petito velut aqua & igni interdicit, neque id ultiam in scientiis locum habere vult. audiamus:

Nec est mihi (inquit) mirandum, si quædam à Deo fiant quorum rationes non intelligam; nec de ejus existentia ideo esse dubitandum quod forte quadam alia esse experiar, quæ quare vel quomodo ab illo facta sint non comprehendo, cum enim jam
sciama

sciam naturam meam esse valde infirmam, Dei autem naturam esse immensam, incomprehensibilem, infinitam, ex hoc satis etiam scio, innumerabilia illum posse quorum causas ignorem. Atque ob hanc unicam rationem totum illud causarum genus quod à fine peti solet, in rebus physicis nullum usum habere existimo. non enim absque temeritate me puto posse investigare fines Dei. Med. 4. p. 53.

Nullas unquam rationes circa res naturales, à fine, quem Deus aut natura in iis faciendis sibi proposuit, desumemus: quia non tantum nobis debemus arrogare, ut ejus consiliorum participes esse putemus. Princip. pag. II.

Κεῖται.

Habemus iterum egregium specimen Logicæ Cartesianæ, quæ argumentum à fine petitum prorsus rejicit. Nam ratio ejus non modo procedit de rebus physicis, sed etiam de ethicis, metaphysicis, theologiceis, ut applicanti patet. Primo autem falsissimum est quod concludit in rebus physicis. si enim ibi nullum usum habet causa finalis, non est dicendum, vel finem solis esse lucere, vel ignis calefacere, vel fructuum pascere, vel linguæ loqui, vel aurium audire, vel oculorum videre, vel den-

B 5

tium

rium commolere, vel stomachi coquere, vel
 partium genitalium gignere. ac ut infinita
 transcurram, totum Galeni opus de usu
 partium, quo se hymnum canere creatori
 Deo tam grate confiteretur, nullum usum
 habebit. 2. in Theologicis multo falsius.
 si enim ibi nullum usum habet causa fina-
 lis, dicendum est, nec Deum esse summum
 rerum omnium finem, nec omnia ad ejus
 gloriam esse facta, nec finem auditus esse
 fidem, nec fidei vitam æternam, nec Chri-
 stum mortuum esse ob peccata nostra, nec
 resurrexisse ad nostri justificationem, legem
 ad agnitionem peccati, euangelium ad
 salutem omni credenti prædicari. & infi-
 nita illius generis. 3. à particulari procedit
 consequentia: *Deus innumerabilia potest
 quorum causas ignoro, ergo causa finalis nul-
 lum usum habet.* nam etiam multa sunt
 quorum causas scimus, vel experimento
 ipso, vel Deo revelante. item: *Non possum
 absque temeritate investigare fines Dei.* ergo
 &c. hoc enim tantum verum est de occultis
 Dei finibus, non de manifestis aut mani-
 festatis. quales itidem innumeri sunt. v.
 Deut. 29. 29. unde non possum satis mi-
 rari hominis impudentiam, cum ait: *Nec
 fingi potest, aliquos Dei fines, magis quam
 alios, in propatulo esse, omnes enim in imper-
 scrutabili ejus sapientia, abisso sunt eodem
 modo reconditi.* Resp. ad Gall. p. 200. fal-
lissimum

lissimum hoc, ut patuit. Profecto, si non licet investigare quo fine in hoc mundo nati sumus &c. ex hominibus in porcos transformamur. tota etiam doctrina moralis hoc modo exhibitur, quæ à fine procedit. tota philosophia & theologia practica. &c. confer quæ super hac re præclare disseruit Gassend. pag. 199. 200. 203. & seqq.

CAPUT V.

Tertius Methodi gradus: Cartesius literarum studia relinquit, libris valedicit, in vasto mundi volumine studet, exercitus, urbes & aulas invisit, mores hominum perlustrat. Vbi cum vix quicquam certi inveniret, in se ipso studere incipit, hypocrausto se includit, ubi totos dies desidet, propriis cogitationibus intentus. Inquiritur in hac, & studiosam juventutem per ea à studiis ad militiam ac vagationes abduci, contemptum bonorum auctorum, atque adeo s. scriptura inveni, & entusiasmo, barbariei ac inscitia viam muniri ostenditur.

Quapropter, inquit, ubi primum mihi licuit per aetatem è præceptorum custodia exire, literarum studia prorsus reliquis

Gallico est, reliquum *juventutis meae*) variis peregrinationibus impendi. Atque interea temporis, exercitus, urbes, aulæq; exterorum principum in visendo, cum hominibus diversorum morum & ordinis conversando, varia hinc inde experimenta colligendo, & me ipsum in diversis fortuna casibus probando, sic ad omnia quæ in vita occurrebant attendebam, ut nihil ex quo eruditior fieri possem mihi viderer omittere. Quippe multo plus veritatis inveniri arbitrabar in iis rationationibus quibus singuli homines ad sua negotia utuntur &c. quam in iis quas doctor aliquis otiosus in Museo sedens excogitavit circa entia rationis (hoc non est in Gallico, sed circa speculationes) aut similia (nec hoc est in Gallico) quæ ad vitam usum nihil juvant. p. 8.

Dum hoc agit animadvertit, non minus diversitatis esse in moribus hominum, quam antea vidisset in placitis philosophorum, atque hinc vix quicquam certi ex iis didicit. Itaque postquam annos aliquot (ita est in Gallico, pro quo latinus supposuit, aliquandiu) impendisset studendo in libro mundi, statuit tandem etiam in se ipso studere (etiam hæc de Gallico expressimus) & omni ingenii vi quidnam à se optimum fieri posset, inquirere. quod ut faceret, in Germania, quo se contulerat, inclusit se hypocausto, ubi totos dies desidebat, propriis cogitationibus.

bus intentus, quod multo melius ei successit,
quam si prius nec à patria, nec à libris suis
(latinus hic substituit nec à scholasticis stu-
diis) unquam recessisset. p. 29. r. 2. no. 1.

Deinde si tantum periculum in eo

est, ut in Cartesio

comitatur, ut in Cartesio

Methodus quam hic præscribit, non est
bonæ frugis studiosorum, sed emansorum,
sive desertorum, qui Musarum pertæsi,
Marti & Bellonæ nomen dant &c. illos fe-
licius in studio sapientiæ proficere quam
qui constanter pervolutandis bonæ notæ
auctoribus invigilant, tum credemus, cum
è militibus & vagabundis, facultatum do-
ctores, scientiarum professores, & verbi di-
vini ministros desumi videbimus. Porro
quam desultoria est hæc methodus! Nam
primo eam præfert eorum studio qui in
Musæis suis delitescunt, mox eadem spre-
ta, hypocausto Germanico ipse se includit,
ac ibi speculabundus totos dies desidet.
Qui ergo hanc methodum sectaturus est,
modo dextrorsum, modo sinistrorsum se-
agat, modo progrediatur, modo regredia-
tur oportet, nec solum à patria, sed & à li-
bris suis recedat. Et consequenter etiam
sacrum codicem flocci faciat. eo enim suf-
farcinatum incessisse Cartesium, quum re-
liquis libris longum vale diceret, mihi per-
suadere non possum. nec ipse cum à libris
quos

quos reliquit, excipit. Cujus tamen lectio-
ni non immorari modo sed & immori jube-
mur. Psal. 122. & 129. 11. 12. & 119. per to-
tum Ioh. 5. 39. &c.

Denique si tantum periculum est à li-
brorum comitatu, etiam Cartesii libros
abjiciat oportet, qui vel in castris vel in
aula, vel in hypocaustis (nam ea subtilio-
rem scilicet spiritum generant quam Mu-
sæa) omnium rerum scientiam inventurus
est. Nunc ad sublimem hanc meditatio-
nem hypocausticam accedamus.

CAPITULUM VI.

Quartus Methodi gradus: Cartesius quacun-
que hætenus crediderat, è mente delet, ut
incerta, dubia, imo absolute falsa. etiam
demonstrationes mathematicas. Et princi-
pia per se nota. credit nihil vel esse, vel
unquam fuisse, ne Deum quidem. exter-
na omnia meras esse ladiificationes somnio-
rum, à maligno genio, imo ab ipso Deo
(quem tamen se ignorare supponit) sibi
immissas. Duo effugia Cartesii. 1. quod
non fuerit loquutus de Deo vero. 2. quod
non serio egerit, examinata. Periculum
hujus noxæ tam methodi quam præcipitis
ostensum.

Quemad-

Quemadmodum non est insolens, dominum unius domus illam destrui curare, ut ejus loco meliorem adificet, ita, quod ad eas opiniones (inquit) quas ego ipse in eum usq; diem fueram amplexus (in Gallico est, que j'avois receues jusques lors en ma CREANCE. scilicet, quas haecenus CREDIDERAM) nihil melius me facere posse arbitrabar, quam ut OMNES SIMVL ET SEMEL è mente mea delerem. (.i. deinceps non crederem. nam in gallico est, de l'en oster, videl. de ma creance.) ut deinde vel alias meliores, vel certe easdem, sed postquam mature rationis examen subiissent, admitterem. Meth. p. II. 12.

Si forte haberet (quis) corbem pomis plenam, & vereretur, ne aliqua ex pomis istis essent putrida, velletque ipsa auferre, ne reliqua corrumperent, quo pacto id faceret? An non in primis omnia omnino ex corbe rejiceret; ac deinde singula perlustraret, ea sola, quae agnosceret, non esse corrupta, resumeret, atque in corbem reponeret, aliis relictis? Eadem ergo ratione, ij qui nunquam recte philosophati sunt varias habent in mente sua opiniones, quas cum à pueritia coacervare coeperunt, merito timent ne pleraque ex iis non sint vera, ipsasq; ab aliis separare conantur, ne ob earum misturam readantur omnes incerta: Hocque nulla meliore via facere possunt, quam si OMNES SIMVL ET SEMEL,

MEL,

MEL, TANQUAM INCRETAS FALSASQUE REICIANT; ac deinde singulas ordine perlustrando, eas solas resumant, quas veras & indubitatas esse cognoscent. Atque ita non male ab initio OMNIA REIECI &c. Object. & resp. Septimæ p. 38. 39. Funditus OMNIA in vita semel esse EVERTENDA, atque a primis fundamentis denuo inchoandum. Meditat. I. p. 7.

Cum de abdicando (quæstio est) sufficit quod SVSPICEMVR (rem esse falsam) ib. p. 129.

Quoniam infantes nati sumus, & varia de rebus sensibilibus iudicia prius tulimus, quam integram nostræ rationis usum haberemus, multis præiudiciis à veri cognitione avertimur; quibus non aliter videmur posse liberari, quam si semel in vita, de iis OMNIBVS STUDEAMVS DVBITARE in quibus vel minimam incertitudinis SVSPICIONEM reperiemus. Princip. phil. p. 1.

Ad serio philosophandum, veritatemque omnium rerum cognoscibilium indagandam, primo OMNIA PRÆIUDICIA sunt deponenda; siue, accurate est cavendum, ne ullis ex OPINIONIBVS olim à nobis receptis FIDEM HABEAMVS, nisi prius, iis ad novum examen revocatis, veras esse comperiamus. Princip. p. 32.

Quia veritati quærenda totum me tradere

re ve-

re volebam, putavi mihi illa OMNIA in quibus vel minimam DVBITANDI RATIONEM possem reperire, tanquam APERTE (in gallico est ABSOLVTE) FALSA esse rejicienda; ut experirer, an illis ita rejectis, nihil præterea superesset, de quo dubitare plane non possem. Method. p. 29.

Quin & illa etiam, de quibus DVBITAMVS, utile erit habere pro FALSIS, ut tanto clarius, quidnam certissimum & cognitum facillimum sit, inveniamus. Princip. p. 1.

Dubitabimus etiam de reliquis, quæ antea pro maxime certis habuimus, etiam de MATHEMATICIS DEMONSTRATIONIBVS, etiam de PRINCIPIIS, quæ hætenus putavimus esse PER SE NOTA, quia videmus aliquando nonnullos errasse in talibus &c. Princip. 1. 2.

Quodque subjungit (adversarius) Imo nulla MENS existit, nihil est, abdicata sunt omnia, tam absurdum est (ait Cartesius) ut responsum non mereatur. Cum enim POST ABDICATIONEM, agnita sit existentia rei cogitantis, agnita simul est EXISTENTIA MENTIS, nec proinde AMPLIVS est abdicata. Ad Sept. Object. p. 90.

Memnisse debuisses, o caro, te hic affari mentem à rebus corporeis sic abductam, ut ne quidem sciat, VILLOS VNQVAM HOMINES

MINES ante se extitisse, nec proinde ipso-
rum auctoritate moveatur. Respons. quin-
ta p. 424.

Infixa quadam est mea menti vetus OPI-
NIO, DEVM ESSE qui potest omnia, &
à quo talis qualis existo sum creatus. Me-
dit. l. p. II.

Essent vero fortasse nonnulli, qui tam-
potentem aliquem DEVM mallerent NEGA-
RE, quam res alias omnes credere incer-
tas, sed iis NON REPVGNEMVS, TO-
TVMQVE hoc de DEO, demus esse FI-
CTIVM. p. 12.

Etenim scio nihil inde periculi, vel erro-
ris interim sequaturum, & me plus a quo
DIFFIDENTIÆ indulgere non posse, quan-
doquidem nunc, non rebus agendis, sed cog-
noscendis tantum incumbo. Supponam igi-
tur, non optimum Deum, fontem veritatis,
sed GENIVM aliquem MALIGNVM,
eundemque summe potentem, & callidum,
omnem suam industriam in eo posuisse, ut
me FALLERET. PVTABO coelum, aë-
rem &c. cunctaque externa, nihil aliud esse
quam LVDIFICATIONES somniorum,
quibus INSIDIAS credulitati mea TE-
TENDIT. Considerabo me ipsum tanquam
manus non habentem, non oculos, non car-
nem, non sanguinem, non aliquem sensum.
MANEBO OBSTINATE in hac medi-
tatione defixus, atque ita, siquidem non in
potestate

44 *Methodi Cartesiana*
potestate mea sit aliquid veri cognoscere, at
certe hoc **QVOD IN ME EST**, ne falsis
assentiar, nec mihi quicquam **ISTE DE-**
CEPTOR, quantumvis potens, quantumvis
callidus, possit **IMPONERE, OBFIRMA-**
TÀ MENTE cavebo. p. 13. 14.

Suppono igitur, omnia quae video **FALSA**
esse. **CREDO NIHIL VNQVAM EXTI-**
FISSE eorum quae mendax memoria repræ-
sentat. &c. Nunquid aliquis est **DEVVS**, vel
quocunque nomine illum vocem, qui mihi
has ipsas cogitationes immittit? quare vero
hoc putem? &c. Sed mihi **PERSVASI**, ni-
hil plane esse in mundo, nullum coelum, nul-
lam terram, **NULLAS MENTES**, nulla
corpora. Medit. 2. p. 15. 16.

Sed est **DECEPTOR** nescio quis summe
potens, summe callidus, qui **DE INDV-**
STRIA ME SEMPER FALLIT. p. 16.

Suppono **DECEPTOREM** aliquem po-
tentissimum, & si fas est dicere, **MALIG-**
NVM, **DATA OPERA IN OMNIBVS**
QVANTVM POTVIT MÈ DELVSSISSE.
p. 18.

Quid est horum, quamvis semper dormi-
am, quamvis etiam **IS QVI ME CREA-**
VIT quantum in se est **ME DELVDAT**
&c. p. 20.

Hoc unum (nempe, me esse) verum esse
affirmo, **NEGO CÆTERA**. ib.

Keijs.

Κείως.

Secundum hanc methodi partem, omnia quæ hactenus credidimus, non solum pro dubiis & incertis, sed etiam pro falsis habenda sunt, atque ita ad tempus è mente delenda, rejicienda, abdicanda, neganda, funditus evertenda, etiam ea, quæ postea, ad normam rationis examinata, vera esse comperiuntur, ideoque postliminio restituenda sunt. Statuendum, nihil plane esse in mundo, nullam terram, nullum cælum, nullum aërem &c. falsa esse principia per se nota, falsas demonstrationes mathematicas, nullos unquam homines fuisse, corpus humanum, carnem, sanguinem nullum, nullos sensus, nullam mentem, denique, **NULLUM DEUM.**

Rationem cur ita sit faciendum, petit à duabus similitudinibus. quarum prior est hominis qui ædes caducas & ruinam minitantes funditus demolitur, ut meliores earum loco extruat. At nulla hic similitudo. Nemo enim tam est stultus, ut si lapidem, aut tignum aliquid viti contraxisse videat, è vestigio totam domum sibi evertendam putet, id enim si faciendum est, integræ tandem urbes evertendæ erunt, cum nulla sit domus in qua non indies aliquid labis deprehendatur: ita nec omnes continuo opiniones ex animo ejiciendæ, etiam veræ, quia
iis ad-

iis admittas aliquas falsas deprehendimus.

Alterum simile est à corbe pomis plena &c. at etiam hoc valde dissimile est. nam in corbe exoneranda nihil periculi, & in ea rursus implenda nihil difficultatis est: at in rejiciendis omnibus quæ hactenus credidimus, etiam de Deo, summum animæ est discrimen, & in resumendis eis quæ tam proterve, tamque obstinate repudiari summa difficultas, ne dicam impossibilitas. Res liquidior erit, si alias quasdam comparationes assumamus: In republica semper sunt homines scelerati: ut illi exterminentur, juxta methodum Cartesianam, omnes cives, quæ boni, quæ mali, civitate ejicienti erunt, ut postea qui probi inveniuntur denuo admittantur. In ecclesia sunt homines vel circa fidem errantes, vel vitæ minus probatæ, ut iis ecclesia liberetur, juxta methodum hanc, omnes quæ boni, quæ mali erunt excommunicandi, ut postea, instituto examine innoxii postliminio recipiantur. In corpore affecto sunt humores peccantes, ut illi évacuentur, boni quoque humores & quicquid in corpore est erit exturbandum, ut postea qui boni & innoxii sunt suis sedibus restituantur. ὑπερχάθαρσιν hanc, ni fallor, vocarent medici. & eam appellationem methodus Cartesianæ suo jure meretur.

Porro, ne hæc saltem notitia menti suæ,
reliquis

reliquis omnibus spoliata inhaereat, esse Deum, à quo creatus sit. quique ipsi hasce cogitationes immittat; censet atheis qui Deum negare malunt non esse repugnandum, totumque hoc de Deo iisdem largitur esse fictitium. neque ullum in eo periculum putat esse, ac supponit, non Deum aliquem bonum, sed malignum ac deceptorum genium sese in hisce omnibus quæ esse videntur, ludificari &c.

Hæc cum durissimæ digestionis esse animadverteret, tum apud pontificios suos, tum apud nostros, duplex Pharmacum invenit, quo efficeret, ut quod dictum est dictum non esset, & non minus quam ille quem sibi imaginatus est deceptor, lectorem suum ludos faceret.

Primum est, Cum de deceptore hoc loqueretur, nequaquam se tamen ibi verum Deum concepisse. Epist. ad Vætium p. 87. id quod partim verum est, partim falsum. Verum est in eo, quod ut Deum negaret, deceptorem genium ei succedaneum fecerit, falsum in eo. quod hunc genium iis dotibus ornarit, quæ soli Deo conveniunt, ut cum vocat eum SUMMEPOTENTEM, & eum QUI IPSUM CREARIT. quæ duo de nullo nisi de vero Deo possunt affirmari. de ultimo nullum est dubium; primum etiam ipse profitetur Medit. 3. p. 40. ubi in descriptione Dei ponit, quod sit *summe potens.* &

Respons.

Respons. ad primas object. p. 128. ubi ait: *existentiam necessariam in idea entis SVMME POTENTIS contineri*. Et quid est quæso, quod semel quasi horrore percussus, interjecerit hæc verba: *SI FAS EST DICERE malignum*, si de genio vere maligno ageret? quid quod in sequentibus probare annititur, verum Deum nos fallere non posse, idque implicare contradictionem? Annon eo corrigere vult ea, quæ hic de ejus deceptione suspicatus fuerat? intellexerat ergo & hic verum Deum. Sed quid dubitamus, cum habeamus fatentem reum, Resp. ad object. quint. p. 409. *Vbi enim* (verba sunt Cartesii) *ais, opus non esse DEVM fingere deceptorem &c. Philosophus putasset sibi addendam esse rationem cur illa non possint in dubium vocari; vel si nullam habuisset, ut REVERA NULLA EST, id non dixisset.* & Princip. p. 2. *Tum maxime* (dubitamus de iis quæ antea pro maxime certis habuimus; quia audivimus esse DEVM, qui potest omnia, & à quo sumus creati. Ignoramus enim, an forte nos tales creare voluerit, ut semper fallamur, etiam in iis, quæ nobis quam notissima apparent &c. Atque, si non à Deo potentissimo, sed vel à nobis ipsis, vel à quovis alio nos esse fingamus, quo minus potentem originis nostræ auctorem assignabimus, tanto magis erit credibile, nos tam imperfectos esse, ut semper fallamur.

Seq

Sed interim, à quocunque tandem simus,
 & quantumvis ille sit potens, quantumvis
 fallax &c.

Alterum est, quod non serio omnium
 rerum, atque ipsius Dei notitiam abneget,
 sed id facere se FINGAT. Resp. ad 2. ob-
 ject. p. 141. ait, se non actu & revera, sed
 tantum animi fictione corporum phantas-
 mata rejecisse. In Synopsi meditationum
 p. 4. §. ait Medit. 6. rationes omnes ex qui-
 bus rerum materialium existentia possit con-
 cludi, afferri, non quod eas valde utiles esse
 putarit, ad probandum id ipsum quod pro-
 bant, nempe, revera esse aliquem mundum,
 & homines habere corpora, & similia de
 quibus NEMO unquam SANÆ MEN-
 TIS SERIO DVBITAVIT. eadem Me-
 dit. 6. p. 79. Cum auctorem meæ originis ad-
 huc ignorarem, vel saltem ignorare me fin-
 gerem, nihil videbam obstare, quo minus
 essem natura ita constitutus, ut fallerer, e-
 tiam in iis que mihi verissima apparebant.
 Resp. 4. p. 261. inter hyperbolicas illas du-
 bitationes, quas in secunda meditatione pro-
 posui, una eousque processit, ut de hoc ipso
 (nempe quod res juxta veritatem sint tales
 quales ipsas percipimus) certus esse non pos-
 sem, quamdiu AVCTOREM MEÆ ORI-
 GINIS IGNORARE ME SVPPONE-
 REM. v. & ad septimas object. p. 91.

Hoc effugium, quo putat methodo suæ

C

mire

mire consultum, ne vel ἀκαταληψίας vel impietatis arguatur, ex ipsis ejus verbis ei præcludam. Ait ergo Medit. 1. p. 8. **SERIO tandem & libere generali huic mearum opinionum everfioni vacabo, & Resp. 5. p. 411. Quod dixi, omnia sensuum testimonia pro INCERTIS, imo etiam pro FALSIS esse habenda, OMNINO SERIVM est: & ad meas Meditationes intelligendas adeo necessarium, ut quisquis illud admittere non vult, aut non potest, nihil in ipsas responsione dignum objiciendi sit capax. Sed advertenda est distinctio, variis in locis à me incalcata, inter actiones vitæ, & inquisitionem veritatis. Cum enim de regenda vitæ questio est, ineptum sane esset, sensibus non credere &c. Atque idcirco alicubi admonui, Neminem sanæ mentis de iis serio dubitare. (Falsissimum hoc, nam eo loco ubi hoc dicit, non de actionibus vitæ, sed de rerum veritate est sermo, videlicet, an sit mundus? an homines habeant corpus &c.) addit: Cum quidnam certissime ab humano ingenio cognosci possit inquiritur, plane à ratione alienum est, eadem nolle ut **DUBIA**, imo etiam ut **FALSA**, **SERIO REIICERE**, ad animadvertendum, alia quedam, quæ sic rejici non possunt, hoc ipso esse certiora, nobisque revera notiora.**

Iam assume, atqui in omnibus quæ hætenus tractavit, de iis quæ certissime cognosci

nosci possint inquisivit (à quibus quæstionem de regenda vita removet, ut hic apparet, & mox plenius apparebit) ergo quæcunque hæcenus rejicienda docuit, SERIO vult rejici. inter illa autem etiam est existentia DEI.

Unde mira methodi facies sese oculis nostris exhibet. ut videlicet convellatur atheismus, atheismum (saltem temporarium) introducere. Quod à se fieri videns Cartesius, non esse cujuslibet suum hoc exemplum imitari, libere concedit, Methodi Gallicæ p. 16. 17. Latinæ 13. 14. Nunquam, inquit, *ulterius mea cogitatio pro-
vecta est, quam ut proprias cogitationes e-
mendare conarer, atque in fundo qui totus
meus est, edificarem. Et quamvis, quia
meum opus mihi satis placet, ejus exemplar
hic vobis proponam, non deo cuiquam au-
ctor esse velim, ut id imitetur. Habebunt
fortasse alii, quibus Deus largiora sua
largius impertivit, conatus sublimiores; sed
vereor ne hoc ipsum quod suscepi, pro ple-
risque nimis audax futurum sit. Nam vel
hoc unum institutum excutiendi omnes opi-
niones ante creditas, non est exemplum cui-
libet imitandum. (una ex rationibus est,
quia) magna hominum pars, dum putat se
sagaciorum quam re ipsa est, non potest se
continere quominus judicium suum precipitet,
neque satis patientia habet, ad cogitationes*

suas rite & ordine instituendas. Unde fit, ut, si quando sibi sumserit libertatem dubitandi de principiis qua receperat, & à communi via declinandi, nunquam possit insistere semita quam inire oportet ad rectius itinerandum, & maneat errabunda sive devia per totum vite curriculum. (De Gallico hæc utcunque expressi, nam versio latina ne hic quidem satisfacit.)

E quibus liquet, eum tradere methodum aberrandi ad tempus & dubitandi de principiis receptis, verum iis tantum id faciendum, qui satis solertiæ habent, ad redeundum in viam omnibus quantum satis est expensis. At ô bone, ne ad momentum quidem declinandum est à veritate, maxime divina, quod hic fit, neque ullus hominum est, qui postquam sciens & volens, quod tu hic facis, ab ea deflexit, sibi reditum ad eam polliceri possit. sive, quod dum ambigit & alternat, inopinata morte intercipitur, sive quod errores dum foventur allubescunt, Deo etiam voluntariam illam sui ipsius excœcationem, & cognitæ veritatis rejectionem pertinaci impœnitentia non raro puniente. Quam ergo periculosum sit hoc precipitium, quilibet videt: Unde nec cuiuslibet, nec cuiusquam est hoc Cartesii exemplum & hanc ejus methodum imitari.

CAPUT

CAPVT VII.

Quintus Methodi gradus: Cartesius, dum nihil credit, ne nihil quoque agat, regulas aliquot vivendi, pro tempore sibi praestituit. Quales sunt: Religionem quidem eam retinere in qua natus esset, quoad cetera autem, sequi morem receptum ab iis quibuscum sibi foret vivendum. Utque in actionibus suis quam firmissimus & determinatissimus esset, non minus constanter sequi opiniones maxime dubias, postquam semel se eis addixisset, quam si essent quam certissima, imo non amplius eas ut dubias, sed ut certissimas considerare. Hoc vivendi modo, se liberatum ab omni poenitentia & morsu conscientiae. Ventilantur haec, & tum contradictionem, tum impietatem continere, nec vere conscientias tranquillare posse demonstrantur.

ATque hic alia quoque difficultas auctorem Methodi urget. Dum enim nihil credit, quaeritur, an nihil quoque ei agendum sit? sane, dum differt judicare, quid verum, quid falsum, quid bonum, quid malum sit, nihil quoque habet quo voluntatem tuto inclinet. Atque ita cessabit omnis religio, & omnes

C. 3

quoque.

quoque humanæ actiones, vel temerario impetu ad utrumque feretur & jactabitur. Atque hic INTERIM quoddam invenit, cujus præcipua considerabimus:

Quemadmodum (inquit Methodi Gallicæ p. 23.) *non est satis, ante restorationem adium ubi habitas, ut eas demoliaris, & prospicias tibi de materia & architectis, aut te ipsum in architectura exerceas, & præterea sollicite rudimentum earum delineaveris, sed oportet insuper aliud domicilium tibi comparare, in quod commode divertas INTERIM dum illa extruuntur: ita ne manerẽ INDETERMINATVS* (irresol. interpres vertit, *dubius & anxius*) *IN ACTIONIBVS meis, INTERIM dum ratio me obligat TALEM* (latinus habet INCERTUM) *esse IN IVDICIIS meis, neve deinceps intermitterem, vivere quam possem felicissime, formavi* (latinus habet effinxi) *mihî MORALEM quandam* (subintelligit, nî fallor, *methodum*. latinus habet *Ethicam*, subintelligens, ut opinor, *disciplinam*. quæ eodem recidunt) *PER PROVISIONEM* (ita ad verbum habet Gallica. pro quo in latino est. *AD TEMPUS*) *quæ tribus tantum aut quatuor regulis* (Gallicè *maximes*) *continebatur; quas hic non pigabit adscribere.*

Prima erat, ut legibus & consuetudinibus (interpres habet, *institutis*) *patria mea obtem-*

obtemperarem, retinens constanter religionem, in qua Dei beneficio eram ab ineunte aetate institutus. (interpres hisce præmittit: quam optimam judicabam. in quo non possum satis mirari ejus imprudentiam, nequid gravius dicā. quomodo enim quæ optima esset religio judicare poterat, eo tempore quo ratio, ut audivimus, eum obligabat IN IUDICIIS SVIS INCERTUM esse?) atq; me in cæteris omnibus gubernarem juxta opiniones quam maxime moderatas, atque ab omni extremitate (Gallice excessu) remotas quæ communi usu receptæ essent apud prudentissimos, cum quibus mihi vivendum esset. Cum enim jam inde inciperem proprias meas (ita est in Gallico) pro nihilo habere, utpote quas omnes de integro examini subicere volebam, certus eram me nihil melius facere posse, quam sequi eas quæ erant prudentiorum. Et quamvis fortasse tam prudentes reperiantur inter Persas & Chineses quam inter nos, nihilominus utilius mihi videbatur ab illis regulam sumere quibuscum mihi vivendum esset. Atque ut recte intelligerem quales essent revera eorum opiniones (ita est in Gallico) mihi magis attendendum esse ad ea quæ agebant, quam quæ dicebant. &c. confer Resp. ad secundas object. pag. 164. & ad septimas p. 14. & seqq.

KEIOS.

HABEMUS INTERIM quod & seipsum INTERIMIT, & animas sequentium. Nam 1. legibus patriæ suæ obedire, & sequi mores eorum quibuscum tibi vivendum est, in homine extra patriam ut plurimum oberrante, simul consistere non potest. In Germania enim moribus Germanicis, in Scythia Scythicis ei vivendum erit. 2. Cum sequi se ait religionem in qua à teneris institutus est, ambiguum sectatoribus suis canonem tradit: vel enim sequendam eis illam vult, in qua ipse institutus est, & sic omnes oportebit esse papistas, vel illam in qua quisque institutus est, & sic nihil referre censet, quam religionem quisque sequatur, modo in aliqua earum educatus sit. qui etgo in pagana natus & altus est, illam teneat, qui in Muhammedica, hanc tueatur, qui in hæresi, hæreticam. qui inter Chineses, dæmonas colat &c. v. adversus hæc Ezech 20. 18. 1. Pet. 1. 18. &c.

Alter canon hic est, ipsis auctoris verbis: *Secunda mea regula erat, ut in actionibus meis quam poteram firmissimus & determinatissimus essem, neque minus CONSTANTER sequerer opiniones MAXIME DVBIAS, postquam semel me eis addixissem, quæ si essent QUAM CERTISSIMÆ.*

Imitans in eo viatores, qui si quando in syl-
ua.

*va aliqua se vident aberrasse, non debent
 errare, nunc ad hanc, nunc ad illam partem
 discurrere, & multo minus uno in loco
 consistere, sed semper recta, quantum possunt,
 versus unam & eandem partem progredi,
 nec ab ea propter imbecilles rationes deflecte-
 re, licet fortasse ab initio sola fortuna (Gal-
 licè, le hazard) ipsos ad eam eligendam de-
 terminarit. Hoc enim pacto, si non perveni-
 ant precise quo pervenire desiderant, saltem
 ALIQUO tandem perventuri sunt, ubi
 VERISIMILITER (hoc omisit interpres)
 commodius erunt quam in medio saltu. At-
 que ita, actionibus non admittentibus sepe
 moram, res certissima est, si quando non est
 in nostra potestate discernere opiniones max-
 ime veras, sequendas nobis esse maxime pro-
 bables. Quin imò, quamvis non deprehen-
 damus majorem probabilitatem in his
 quam in illis, debemus tamen nos determi-
 nare ad aliquas, easque deinde considerare
 non ut dubias, in quantum ad praxin refe-
 runtur, sed ut verissimas & certissimas,
 propterea quod ratio quæ fecit ut ad eas de-
 terminaremur talis esse reperitur. Atque
 hoc fuit idoneum (Gallice, capable, inter-
 pres habet, sufficiens) deinceps, ad me libe-
 randum ab omni POENITENTIA &
 MORSU quæ solent agitare CONSCIEN-
 TIAS spirituum illorum debiliùm & vacil-
 lantium, qui inconstanter feruntur ad agen-
 da.*

58 *Methodi Cartesianæ*
da ea tanquam bona, quæ postea judicant
esse mala. Method. Gall. pag. 25. 26. Lat.
pag. 22. 23.

Κείως.

Nihil tetrius, nihil horribilius est isto
canone, qui jubet opiniones maxime du-
bias, postquam eas semel amplexus es, se-
qui tanquam certissimas, & quidem con-
stanter, idque hac ratione, quia cum id fa-
cis, si non quo pervenire desideras, saltem
ALIQUO tandem perventurus es. quasi ni-
hil intersit, quo tandem perveniat miser
homo in fine ærumnosæ hujus vitæ, ad su-
peros, an ad inferos. nam nullum est me-
dium. Et quæ, per Deum immortalem, est
illa VERISIMILITUDO, quod is, quæ via
aberravit, modo currat ad eam plagam
quam non ratio ipsi, sed fors objecit, eo
perventurus sit tandem, ubi meliuscule ha-
beat? profecto, vel in barathrum hic tan-
dem se conjiciet, vel eo deferetur, unde
nullus ad viam rectam regressus est. Pul-
cre Salomo, Prov. 14. 12. *Est via qua recta*
videtur in conspectu virorum, cujus finis est
via multiplex ad mortem. Maxime autem
horribile est, quod CONSCIENTIAM suam
hac ratione pacatam se habere dicit, quod
ea quæ cæco impetu arripuit, quæque ip-
se non credit, tamen ut certissima retineat,
& con-

& constantissima praxi exprimat. ô miser-
 rimum conscientiaë solamen! sane hic con-
 scientiaë veterinus quidam & stupor est, non
 quies. tale etiam est, quod se ab omni
 POENITENTIA liberatum asserit, quodque
 in eo se opponit SPIRITIBUS DEBILIBUS,
 id quod facile in sequiorem partem rapere-
 tur, ab iis, qui norunt quinam in Gallia
 SPIRITUS FORTES dicantur. Et quid est,
 quod illos carpit, qui *ad ea facienda ut bona*
feruntur, quæ postea judicant esse mala? an
 non, quæcunque hic se facere dicit, PER
 PROVISIONEM & *ad tempus* facit, donec
 quid recte, quid secus se habeat per suam
 Methodum examinaverit? an non multa
 quæ ad tempus tanquam bona secutus est,
 tanquam mala tunc condemnaturus est?
 quanquam non video, quomodo ista (ut
 ita dicam) PROVISIO, cum hac *constantia*
 convenire possit. Itaque nihil philosophi,
 nihil Christiani habet iste canon, sed ho-
 minis, qui naturæ luce sponte extincta, &
 spreto scripturæ ductu, palpat in tenebris,
 & nescit quo vadat, nec quo sequaces suos
 ducat. v. Matth. 15. 14.

C A P V T V I I I.

Cartesius, exceptis his regulis, & veritatibus
fidei, reliqua omnia ex animo suo delenda.

C 6

sibi

sibi proponit. quod ut faciat, iterum hypocausto se includit, inde rursus ad peregrinationem se accingit. totum novennium ad errores animo suo evellendos impendit. quo tamen tempore nihil tale facit. Considerantur hac: & nec regulas suas, nec veritates fidei eum potuisse seponere ostenditur. inconstantia methodi notatur. Et per eam omnes fidei veritates everti demonstratur.

Postquam vero me (inquit) de his regalis certum reddidissim, easque seposuissim una cum veritatibus fidei, quae semper prima fuerunt in mea credulitate (i. quas semper primò credidi. Gallicum creance, credulitatem verti, quum aliter commode non possem. qua etiam voce passim pro fide utitur Arnob. lib. adv. gentes. & ipse Cartes. ni fallor. ita eam usurpat Medit. I. Latinus interpret. habet: quae semper potissima apud me fuerunt) iudicavi, quantum ad residuum mearum opinionum, libere me posse conari omnes eas ex animo meo delere. Quod quia mihi videbar commodius prestare posse conversando cum hominibus, quam manendo diutius inclusus hypocausto, ubi omnes hasce cogitationes habueram. (pro hypocausto interpret. supposituit solitudinem.) nondum plane hyems erat

exacta,

exacta, cum me rursus ad peregrinandum accinxi: nec per totos insequentis annos novem aliud egi, quam ut hac illac orbem terrarum perambulando omnes paulatim errores qui in animum meum illapsi fuerant, inde revellerem. &c.

Veruntamen isti novem anni effluerunt, antequam de difficultatibus qua solent disputari inter doctos, quicquam in alterutram partem statuissem, aut coepissem querere fundamenta alicujus philosophia certioris, quam esset vulgaris. Methodi gall. p. 29. 30. 31. Latinæ 26. 27. 28.

Κείσις.

1. Quomodo potuit hosce canones (ut & tertium, quem brevitatis causa omisimus) sibi seponere tanquam certos, antequam quicquam certi de ulla re haberet?

2. Quomodo veritates fidei primas habere potuit, si hæc est ejus prima veritas, cogito, ergo sum, ex qua primam omnium veritatem fidei, ut posteriorem deducit, nempe Deum esse? & cur sibi persuasit tam ignorantissimis veritatum fidei cælum patere, quam gnarissimis, nisi ut putaret, sibi & illas ignorare licere, ac proinde nullam eatum credere?

3. Nota methodi hujus inconstantiam.
1. ex musæo ad peregrinationem, 2. à peregrinatione ad musæum.

regrinatione ad hypocauftum, 3. ab hypocaufto iterum ad peregrinationem sectatorem suum trahit. 4. totum novennium omnibus eradicandis erroribus insumit, & tamen de quæstionibus philosophicis nihil vel affirmat vel negat, .i. verane an falsa de iis tradant philosophi susque deque habet, atque ita *nullum* ab iis errorem eradicat. Hæc minimè cohærent.

4. Veritates fidei, quas per suam methodum salvas esse nobis persuasum vult, ad unum omnes evertit. quod ita demonstramus:

1. Qui se plus æquo DIFFIDENTIÆ indulgere posse negat, quomodo FIDEM salvam præstare potest, quam DIFFIDENTIA tollit? qui autem FIDEM ipsam non habet, quomodo ejus veritates habere potest? nota, eum de diffidentia circa rerum *veritatem* loqui. ea autem ne fidem quidem historicam salvam relinquit.

2. Qui non credit ESSE DEVM, quomodo ullam veritatem fidei credit, cum hæc sit prima fidei veritas, sine qua nulla subsistere potest? Heb. II. 6.

3. Qui ea quæ solus Deus facit MALIGNO GENIO attribuit, imo ipsum Creatorem pro deceptore &c. habet, quomodo ea quæ fides tradit de attributis & operibus divinis sarta tecta servat?

4. Qui putat nihil unquam fuisse in re-

tura.

rum natura, non cœlum, non terram &c.
 quomodo consentit primo fidei articulo:
*Credo in Deum Patrem omnipotentem,
 Creatorem cœli & terræ?*

5. Qui putat nullos unquam homines
 fuisse, quomodo credet Christum fuisse?
 quomodo Mariam, ex qua natus, quomo-
 do Pontium Pilatum sub quo passus?

6. Qui putat nulla esse corpora, quo-
 modo credet Christum corpus habuisse, in
 eo passum, mortuum, suscitatum, ad cœ-
 los translatum, rediturum ad iudicium?
 quomodo etiam credet corporum nostro-
 rum resurrectionem, quæ nulla sunt?

7. Qui putat nullam esse mentem, quo-
 modo credet Christum animam habere,
 in ea passum tristitiam illam de qua Matth.
 26. 38. Et quomodo credet eum animas
 nostras ab interitu liberasse, aut eas esse
 immortales, quæ nullæ sunt?

8. Qui in hisce & talibus MANET OB-
 STINATUS, & OBFRMATA MENTE, cavet
 ne sibi contrarium persuadeatur, vel ab ip-
 so Deo, quomodo non quamdiu hoc du-
 rat, pro obstinato hæretico erit habendus?

Atqui hæc omnia sunt Methodi Carte-
 sianæ επιχειρήματα, ut in præcedd. vidimus.
 Falsissimum ergo est, eum illâ salvâ verita-
 tes fidei ut certas seponere, & primas ac-
 potissimas habere posse.

CAPVT IX.

Sextus Methodi gradus: Cartesius omnem sensibus fidem abrogat. nunquam vigiliam à somnio distingui posse asserit. Refutata hæc opinio, ex ipso Cartesio. ejus contradictio indicata. Ostenditur quam exitialis sit in negotio theologico. tolli per eam cognitionem Dei è contemplatione creaturarum, è scriptura lectione, ex auditu verbi, labefactari testimonium angeli de resurrectione, apostolorum de ejus ascensione. in dubium vocari fidem testimonium oculatorum, & totum jus nature incertum reddi. Tertulliani locus insignis ad eam rem adductus.

Quicquid hætenus (verba sunt Cartesij) ut maxime verum admisi, vel à sensibus vel per sensus accepi, hos autem interdum fallere deprehendi; ac prudentiæ est, nunquam illis plane confidere qui nos vel semel deceperunt. Sed forte, quamvis interdum sensus circa minuta quadam & remotiora nos fallant, pleraque tamen alia sunt, de quibus dubitari plane non potest, quamvis ab iisdem hauriantur. præclare sane, tanquam non sim homo, qui solem noctu dormire, & eadem omnia in somnis.

omnis pati, vel etiam interdum minus (forte legendum magis) verisimilia, quam isti vigilantes. qua dum cogito attentius plane video *NUNQUAM* certis judiciis vigiliam à somnio posse distingui, Medit. 1. p. 8. 9.

Multa paulatim experimenta fidem omnem quam sensibus habueram labefactarunt: nam & interdum turres, qua rotunda visa fuerant è longinquo, quadrata apparebant è propinquo: & statua permagna in eorum fastigiis stantes, non magna è terra spectanti videbantur. & talibus aliis innumeris in rebus, sensuum externorum iudicia falli deprehendebam; nec externorum duntaxat, sed etiam internorum. (Alia dubitandi causa erat) quod nulla unquam dum vigilo me sentire crediderim, qua non etiam inter dormiendum possim aliquando putare me sentire, cumque illa qua sentire mihi videor in somnis, non credam à rebus extra me positis mihi advenire, non advertebam quare id potius crederem de iis qua sentire mihi videor vigilando. Meditat. 6. p. 78. 79.

Κεῖσιν.

1. Si verum est, quod ait Cartesius, initio Dioptricum, Totius vita nostra regimen à sensibus pendere, sane, secundum ea quæ jam audivimus, fallacissimum vita nostræ

nostræ ducem habet, & cui nunquam credendum sit. 2. Ait, *sensus interdum fallere*. at idem dicit p. 83. *Fieri non posse, ut ulla falsitas in suis opinionibus reperiat, nisi aliqua etiam sit in se facultas à Deo tributa ad illam emendandam.* quo unico dicto totum illud quod de turri rotunda aut quadrata, item de somnio & vigilia commentus est, evertitur. illa enim facultas facit ut iudicium sensuum nos non possit fallere. Scio quid regesturus sit, nempe se hanc veritatem inde deducere, quod Deus non sit fallax, id vero suo dubitatori, vel sibi ipsi dum dubitat, adhuc ignotum esse. esto. sed res ipsa tamen, nempe facultas emendandi sensuum errores in omnibus est, sive illi principium unde id promanat sciant, sive nesciant. 3. Quod prudentiæ esse censeret nunquam illis plane confidere, qui se vel semel decepissent, *perinde facit* (ut recte Gassendus p. 20.) *ac si, quia cibus semel nocuerit, sumendum nunquam cibum censeret, cum potius prudentia dicitur cavendum à noxio, ac eum sumendum qui constanter profuit.* atque ita, nec omnem sensationem esse respiciendam, sed, si qua fefellit de ea cohibendum assensum dum emendetur, illam vero sine scrupulo admittendam ut veram, qua vera constanter deprehensa est. Hinc si de turri procul visa queratur, *illane rotunda, an quadrata sit,*

sit, merito quidem cohibetur assensus, quan-
 tumcunque illa rotunda appareat; quoniam
 alias est deprehensum, turrim procul visam
 rotundam, fuisse cominus spectanti quadra-
 tam. At si turris prope visa spectata fuerit
 angulis carens, ac omnino teres, tum assen-
 sum cohibere velle, aut dubitare, quadra-
 tane potius quam rotunda, sive teres sit,
 hominis non sana mentis esset. 4. In eun-
 dem modum, quantumcunque inter som-
 niandum non possimus discernere, dor-
 miamusne an vigilemus, haud dubie ta-
 men, dum vigilamus certi sumus vigilare
 nos, non dormire, & errorem qui sensui
 interiori inter dormiendum obrepserat e-
 mendamus. Ipsum Cartesium hic testem
 voco. is enim Object. tertiis p. 224. fate-
 tur ATHEVM (nam de eo erat quaestio)
 dormientem falli posse: *atqui postea* (in-
 quit) **EXPERRECTVS ERROREM**
SVVM FACILE DIGNOSCET. Si A-
 theus hoc potest, qui Deum constanter ne-
 gat, poterit etiam Cartesianus dubitator,
 qui hoc facit ad tempus. interim quilibet
 videt, quam pulcre haec cohæreant, **NVN-**
QVAM certis judiciis vigiliam à somno
 posse distinguere, & **FACILE** hoc fieri posse.

Nunc videamus quam exitialis sit hæc
 opinio, præsertim in negotio theologico.
 id ita elucescit:

1. Si sensus universim fallunt, ita ut
 eis

eis nunquam fidendum sit, sequitur cognitionem Dei è contemplatione creaturarum nullam esse. contra Psalm. 8. 19. &c. Rom. 1. 20. &c. hoc gravitet Cartesio exprobravit doctiss. Gassendus p. 131. *Cum probanda foret (inquit) Dei existentis ex quibusdam operibus, quorum causa agnosceretur, tu non potuisti quidem aliud, quam petitum ex dependentia effectus à causa argumentum excogitare: at deseruisti tamen viam regiam, quam S scriptura indicat, & sapientes omnes sectantur; videlicet contemplationem admirabilis universi; & per nescio quam somnii, deceptionis, delusionis semitam, subduxisti te ex ipso universo; videlicet ipsum, S quicquid est extra te, falsum esse existimans, ac falsum simul quicquid ex eo, & præter te, deduceretur.*

2. Si sensus fallant, cognitio Dei è scriptura nulla est. fortasse enim dum eam legere te putas, fabulam de asino aureo ante oculos habes. cum tamen eam scrutari ad salutem jubeamur. Psalm. 1. 19. 119. Ioh. 5. 39. Act. 17. 11. &c.

3. Si sensus fallant, cognitio Dei ex auditu verbi divini nulla est. fortasse enim dum id tibi audire videris, Annales Volusianos recitantem audis. cum tamen certum sit fidem esse ex auditu, auditum autem per verbum Dei. Rom. 10. 17.

4. Si sensus fallant, testimonium apostolorum

colorum de Christo nullum est, cum ex-
lamant: *Quod audivimus, quod vidimus*
oculis nostris, quod spectavimus, & manus
nostra contraxerunt, de Sermone illo vita.
Quod vidimus & audivimus annunciamus
vobis. 1. Ioh. 1. 1. 3.

5. Si sensus fallant, non tenebantur vel
ceteri apostoli, vel nominatim Thomas
resurrectionem Christi credere, cum se eis
videndum & palpandum offerret. Ioh. 20.
20. 27. nec recte ad sensum oculorum pro-
vocabat hac in parte angelus, cum mulie-
ribus diceret, *resurrexit, non est hic. VIDE-*
TE locum. Matth. 28. 6.

6. Si sensus fallant, non possunt testari
de ascensione Christi, qui illam viderunt.
contra Act. 1. 9. 1. Cor. 15. 5. 6. 7. 8.

7. Si sensus fallant, nec auritis testibus
in iudicio, nec oculatis credendum est.
contra Deut. 17. 6. Matth. 18. 16.

8. Si sensus fallant, nemo nec patrem,
nec filiam, nec uxorem nec sororem certo
noscet aut ab alienis discernere poterit. at-
que ita totum jus naturæ incertum erit,
unde omnia parentum ac liberorum, con-
jugium &c. officia cessabunt aut confun-
dentur. Hæc si Cartesio à me sibi apposita
non sapiunt, audiat gravissimum aucto-
rem Tertullianum lib. de Anim. cap. de
quinque sensibus, ubi postquam exem-
plum turris (nam vetus est insulsissima ob-
jectio)

jectio) & alia multa examinasset, *Quid agis,* inquit, *Academice procatissime? Totum vita statum evertis, omnem naturæ ordinem turbas, ipsius Dei providentiam excœcas, qui cunctis operibus suis intelligendis, incolendis, dispensandis, fruendisque, fallaces & mendaces dominos præfecerit sensus. An non istis universa conditio subministratur? An non per istas secunda quoque mundo instructio accessit? Tot artes, tot ingenia, tot studia, negocia, officia, commercia, remedia, consilia, solatia, victus, cultus, ornatusque omnia totum vitam saporem condierunt, dum per hos sensus solus omnium homo animal rationale dinoscitur intelligentia & scientia capax, & ipsius Academia. & post nonnulla: Non licet nobis in dubium sensus istos revocare, ne & in Christo de fide eorum deliberetur: ne forte dicatur, quod falso Satanam prospectarit de cœlo precipitatum: aut falso vocem Patris audierit de ipso testificatam: aut deceptus sit cum Petri socrum tetigit: aut alium postea unguenti senserit spiritum, quod in sepulturam suam acceptavit, alium postea vini saporem, quod in sanguinis sui memoriam consecravit. Sic enim & Marcion phantasma eum maluit credere, totius corporis in illo dedignatus veritatem. Atquin ne in Apostolis quidem ejus ludificata natura est. Fidelis fuit & visus & auditus in monte: fidelis & gustus
vini*

ni illius, licet aqua ante, in nuptiis Galie.
a. fidelis & tactus, exinde creduli Thomae.
ecita Ioannis testationem: quod vidimus,
quit, quod audivimus, oculis nostris vidi-
mus, & manus nostra contrectaverunt, de
rmone vite. Falsa utique testatio, si ocu-
rum & aurium & manuum sensus na-
ura mentitur.

CAPVT X.

Optimus Methodi gradus: Cartesius ali-
quid certi querit, extra illa quae abdicavit.
invenit existentiam suam, ejus cognitionem
solam veram esse affirmat. ex ea colligit
existentiam Dei, non tamen argumento ab
effecto ad causam, quod rejicit, sed
diverso. Examinantur hac: Et frustra
queri aliquid extta illa quae abdicavit
ostenditur, quandoquidem omnia abdicaverit.
Argumentum ab existentia nostri
vetus esse, ex Augustino probatur, sed
aliter quam à Cartesio adhibitum. Incidit
Cartesius in argumentum à subordinatione
causarum, quod tamen postea resorbet.
de progressu in infinitum contradictio
ejus. Omnes demonstrationes Thomae
pro existentia Dei ab eo rejete.
te.

*Et eas à Gregorio de Valentia refutatas,
falso ab eodem affirmatur.*

IN tantas dubitationes (inquit Cartesius) hesternam meditationem coniectus sum, ut nequeam amplius earum obliuisci, nec videam tamen qua ratione solvenda sint, sed tanquam in profundum gurgitem ex improvise delapsus, ita turbatus sum, ut non possim in imo pedem figere, nec enatare ad summum. Enitar tamen, & tentabo rursus eandem viam quam heri fueram ingressus, removendo scilicet illud omne quod vel minimum dubitationis admittit, nihilo secius, quam si omnino falsum esse comperissem, pergamque porro, donec aliquid certi, vel si nihil aliud, saltem hoc ipsum pro certo, nihil esse certi cognoscerem. Medit. 2. P. 14. 15.

Suppono igitur, omnia qua video falsa esse. Sed unde scio, nihil esse diversum ab iis omnibus qua jam jam recensui, & de quo ne minima quidem occasio sit dubitandi? Nunquid est aliquis DEVS, vel quocumque nomine illum vocem, qui mihi has ipsas cogitationes immittit? quare vero hoc putem, cum forsitan ipsemet illarum auctor esse possim? Nunquid ergo EGO ipse aliquid sum? sed jam negavi me habere ullos sensus, & ullum corpus; hereo tamen, nam quid inde? sumne ita corpori sensibusque alligatus, ut
sine

sine illis esse non possim? sed mihi persuasi nihil plane esse, in mundo, nullum cælum nullam terram, nullas MENTES, nulla corpora; nonne igitur etiam ME non esse? imo certè, ego ERAM siquid MIHI persuasi. Sed est deceptor, nescio quis, summe potens, summe callidus, qui de industria me semper fallit: haud dubie igitur EGO etiam sum, si ME fallit: & fallat quantum potest, nunquam tamen efficiet ut NIHIL sim, quamdiu ME aliquid esse COGITABO. Adeo ut omnibus satis superque pensitatis, denique statuendum sit, hoc pronunciatum: EGO SVM, EGO EXISTO, quoties à me profertur, vel mente concipitur, necessario esse verum. p. 15. 16:

COGITATIO sola à me divelli nequit, EGO SVM, EGO EXISTO, certum est. quamdiu autem? nempe quamdiu cogito, nam forte etiam fieri posset, si cessarem ab omni cogitatione, ut illico totus esse desinerem. Nihil nunc admitto nisi quod sit necessario verum: Sum igitur precise tantum RES COGITANS, id est MENS, sive animus, sive intellectus, sive ratio &c. p. 18. 19.

Certissimum est, hujus sic precise summi notitiam non pendere ab illis qua existere nondum novi. p. 19.

Hoc unum verum esse affirmo, NEGO CÆTERA. p. 20.

D

Quid

Quid est hoc (videlicet res cogitans?)
nempe dubitans, intelligens, affirmans, ne-
gans, volens, nolens, imaginans quoque, &
SENTIENS. ib.

Quid est horum, quamvis semper dor-
miam, quamvis etiam IS QUI ME CRE-
AVIT quantum in se est ME DELV-
DAT, quod non aequè verum sit, ac me esse?
ib. & 21.

Fallat me quisquis potest, nunquam ta-
men efficiet ut nihil sim, quamdiu me ali-
quid esse cogitabo. Medit. 3. p. 29.

Cum nec quidem adhuc satis sciam, V-
TRVM SIT aliquis DEVS quamprimum
occurreret occasio, examinare debeo AN SIT
DEVS. p. 30.

Κείρισ.

Quum dicit se hesterno die in dubita-
tiones conjectum, sciendum est, diem il-
lum toto novennio durasse. ut habuimus
ex Methodi p. 28. Illo die tam longo in
profundo gurgite se hæsisse agnoscit, nec
mirum, cum gurges ille sit orago impie-
tatis, & barathrum perditionis. sed quod
ait se ex improvviso eo delapsum, falsum
est, nam destinato consilio, se eo conjecit,
& animo obfirmato ibi tamdiu moratus
est. infelix profecto, si eum mors interibi
temporis oppressisset. Tentat jam inde e-
mergere,

mergere, idque non contraria (quod oportebat) via, sed eadem qua se præcipitem dedit, nempe omnia negando. id est enititur in altum, profundius se immergendo. Tandem tamen incipit dubitare, an nihil sit diversum ab omnibus illis quæ jam recensuit, & de quo ne minima quidem occasio sit dubitandi? inscite profecto, nam cum *omnia* negarit, quomodo præter illa *omnia* aliquid indubitati inventurus est? an datur aliquid præter *omnia*? Dum circumspicit, an fortasse DEVS revera & indubitato existat? eam cogitationem à se rejicit, nec causæ esse ait, cur hoc putet. Omnibus expensis deprehendit se ipsum aliquid esse, nempe Mentem, rem cogitantem. at MENTEM esse antea negavit, & pro falso habuit. quomodo ergo illa jam ponitur extra ea quæ recensuit? & si eis (ut verum est) comprehendatur, quid illum adigit, ut suspicetur, imo demonstret, eam esse, quam non esse ut certum, & quidem serio, præsupposuit? estne sapientis probare id esse verum, quod præsupponit esse falsum? quid insanius quam conclusionem inferre, quæ contradictorie opponatur propriæ hypothese? Age tamen, demonstrat se esse Cartesius, & inde per ambages educit, animam, & Deum esse, unde per alteras rursus ambages, ea quæ in sensu incurrunt vere esse, ut hinc

denique per circulum vicissim concludatur Deum esse. è diametro contra methodum apostoli, qui non ex eo quod Deus sit probat creaturas esse, sed ex eo quod creaturæ sint, esse Deum. sed hæc suo loco. nunc primum Cartesii demonstrationem, cui omnia sua deinceps superstruit, non nihil meditemur. Nec expectet quis, ut eam ad normam dialectices exigamus, fecit id, (neque adhuc qui responderet invenit) doctiss. Gassendus. p. 38. & seqq. Ut autem, quomodo hujuscemodi docendi via cum theologia conveniar, inquiramus, nostrarum partium est. Age igitur, invenit Cartesius argumentum insolubile quo Deum esse probet. Cogito, ergo sum. Sum, ergo Deus est. utraque consequentia procedit à posteriori, illa ab actione ad existentiam, hæc, si directe, & sine ambagibus Cartesianis instituat, ab effectu ad causam. argumento, fatemur, probo, verum non illud solum tale est, sed innumera alia. quotquot enim creaturæ se sensibus nostris offerunt, simili soliditate Deum nostris mentibus ingerunt. argumentari siquidem licet: solem video ergo est. sonum audio, ergo est. sic de cæteris. nec valet exceptio Cartesiana, quod sensus fallant, eam enim jam ipse sustulit, cum ea nos facultate præditos agnovit, per quam eorum, siqui occurrant, errores à veritate

veritate facile discernamus. si reluctetur adhuc, objiciam ei propria ipsius verba ex epistola ad Sorbonam Meditationibus suis præfixa, quibus rationes fere omnes, quæ pro his questionibus à magnis viris allatæ sunt, cum satis intelliguntur, vim demonstrationis habere fatetur, vixque ullas dari posse sibi persuadet, quæ non prius ab aliquibus fuerint inventa. p. (* *) 3. b & 4. id quod ita verum est, ut ne hæc quidem probatio, qua sola sibi utendum putavit Cartesius, ab ipso inventa, sed multo ante ab Augustino usurpata sit (ut observavit auctor quartarum objectionum p. 226.) lib. enim 2. de lib. arb. c. 3. Alipius cum Eudodio disputans, probaturusque Deum esse: Prius, inquit, abs te quæro, ut de MANIFESTISSIMIS capiamus exordium, utrum tu ipse sis? An tu fortasse metuis, ne hac in interrogatione FALLARIS, Cum utique SI NON ESSES FALLI OMNINO NON POSSES? tantum autem abest ut hoc neget Cartesius, ut etiam pro indicio gratias agat, p. 252. Iam convenio conscientiam ejus: Si gravissimis theologis, qui illis demonstrationibus usi sunt, si ipsi Augustino, qui è Cartesiano principio disputavit, nunquam tamen in mentem venit, omnia prius (etiam mentem propriam, etiam Deum ipsum) negare, quid causæ fuit quare Cartesius, rem tam insolentem (ne jam aliud

D 3.

aliud

aliud dicam) auderet? Annon ex sua cogitatione suam existentiam, & ex sua existentia existentiam Dei potuit colligere, rerum universitare salvâ? & salvis aliis demonstrationibus per quas idem evincitur?

Progrediendum est ad modum quo ex hoc suo principio reliqua, ac primo existentiam Dei eruat. Et potuisset quidem hic regia via incedere, ut videlicet ab existentia sua, quam ab alio esse negare non potest, tandem ad illud deveniret quod à se est, qui modus demonstrandi ita perspicuus est ac solidus, ut ipse in eum incidat, Meditat. 3. p. 43. seqq. *Ulterius, inquit, quarere libet, an ego ipse, habens illam ideam (Dei videlicet) esse possem, si tale ens nullum existeret? Nempe, à quo essem? à me scilicet, vel à parentibus, vel ab aliis quibuslibet, Deo minus perfectis &c. Atqui si à me essem, nec dubitarem, nec optarem, nec omnino quicquam mihi deesset &c. atque ita ipsemet Deus essem (quod cum non ita se habere ostendisset) ex hoc ipso, inquit, evidentissime cognosco, me ab aliquo ente à me diverso pendere. forte vero illud ens non est Deus, sumque vel à parentibus productus, vel ab aliis causis Deo minus perfectis. (id refutans) potest, inquit de illa rursus quari an sit à se, vel ab alia? nam si à se, patet ex dictis, illam ipsam Deum esse*
&c.

Et si autem sit ab alia, rursus eodem modo de hac altera quæretur an sit à se, vel ab alia, donec tandem ad causam ultimam deveniatur, quæ erit Deus. Satis enim apertum est, **NULLVM HIC DARI POSSE PROGRESSVM IN INFINITVM.**

Hæc considerans auctor primarum objectionum p. 99: Illa demum ipsa via est, inquit, quam S. Thomas ingreditur, quam vocat viam à causalitate causa efficientis, eamque desumpsit ex Philosopho. nisi quod isti de causis idearum non sint solliciti. Et forte opus non erat; quidni enim stricte, rectaque incedam? Cogito, ergo sum, imo ipsa mens est cogitatio sum; illa autem ipsa mens est cogitatio aut à se ipsa est, aut ab alio; si hoc, istud porro à quo? Si à se est, ergo Deus est. &c.

Hic se constrictum sentiens Cartesius, mirabile commentum excogitavit. nam negationem processus in infinitum, non ad seriem causarum in sese, sed ad intellectus nostris imbecillitatem retulit, per quam infinitam pervadere non possimus. p. 114. 115. per istam causarum successionem, inquit, non videbar alio posse devenire, quam ad imperfectionem mei intellectus agnoscendam. quod nempe non possem comprehendere quomodo infinita tales causa sibi mutuo ab aeterno ita successerint, ut nulla fuerit prima. Nam certe, et eo quod istud

non possim comprehendere **NON SEQUITUR ALIQUAM PRIMAM ESSE DEBERE.** ut neque ex eo quod non possim etiam comprehendere infinitas divisiones in quantitate finita sequitur aliquam dari ultimam, ita ut ulterius dividi non possit, sed tantum sequitur, intellectum meum, qui est finitus, non capere infinitum. Itaque malui uti pro fundamento mea rationis, existentia mei ipsius, **QUAE A NULLA CAUSARVM SERIE DEPENDET,** mihi que tam nota est, ut nihil notius esse possit &c. quod plane aliud est, quam ex eo, quod videam me à patre genitum esse, patrem etiam ab avo esse considerarem, & quia in parentum parentes inquirendo non possem progredi in infinitum, ideo **AD FINEM QUÆRENDO FACIENDVM STATVEREM** aliquam esse causam primam.

Quod ad auctoritatem Thomæ & Aristotelis attinet, eam modeste hic deprecatur, locum hunc invidiosum causatus, & rogans ut liceat sibi de aliis tacere; atque eorum tantum quæ ipse scripserit rationem reddere. At Epist. ad Voet. p. 250. apertius mentem suam denudat. Quamvis enim quis, inquiens, putans refutare Atheismum, rationes afferat quæ ad hoc **NON SUFFICIENT,** imperitia tantum, non ideo statim Atheismi est accusandus. Quin etiam profecto cum Atheorum refutatio sit difficillima

difficillima, non est
FELICITER
periti. Vide
legum solidi
refutat OM
usus est D.
probandum
idemque est
fecerat; ad
quantum dicit
qui inquant
pitione quat
gumenta
Examen
deprehend
cum Van
absit tan
QUAM L
inquant

Hoc
& tamen
quod est
ultimam
vim det
esse, se
re. illa
Athen
in infa

cillima, non omnes qui contra Atheos **INFELICITER** certarunt habendi sunt imperiti. Vide Gregorium de Valentia theologum solidissimum & celeberrimum, ille refutat **OMNIA ARGUMENTA** quibus usus est D. Thomas ad existentiam Dei probandam, & **INVALIDA** esse ostendit, idemque etiam alii graves & pii theologi fecerunt; adeo ut ab iis qui vestro more loquuntur dici possit de D. Thomâ (qui, si quis unquam alius, ab omni Atheismi suspitione quam maxime fuit remotus) ejus argumenta contra Atheos penitus inspecta & examinata **ELUMBIA** & **FICVLNEA** deprehendi; eademque comparatio de illo cum Vanino possit institui, & ausim dicere (absit tamen invidia dicto) **APTIVS QVAM DE ME**. quia mea argumenta nunquam fuerunt ita refutata.

Κείσις.

Hoc profecto est palinodiam canere & tamen id agnoscere nolle. Dixit ex eo quod existat ipse & ideam Dei habeat (hoc ultimum sive adsit sive absit non mutat vim demonstrationis) **EVIDENTISSIMVM** esse, se ab aliquo ente à se diverso pendere. illud vero ens esse Deum, quia **SATIS APERTVM** sit nullum hic dari progressum in infinitum. Nunc ex hoc suo argumen-
D ;
to ais

to ait NON SEQUI aliquam causam primam esse debere, & negationem progressus in infinitum confert cum eo quod comprehendere non possit infinitas, divisiones in quantitate finita, unde NON SEQUATUR dari ultimam. nihil ergo aliud hic demonstravit Cartesius quam imperfectionem sui intellectus, existentiam autem Dei nullo modo. poterant enim infinita causa ab aeterno ita sibi successisse. (verba ipsius sunt) ut nulla fuerit prima, id est, ut NULLUS FVERIT DEVS. Imo, ut argumentum ab existentia sui ipsius, quod tamē fundamentum suæ rationis vocat, prorsus inutile reddat, ait eam A NULLA SERIE CAUSARVM DEPENDERE, sibi que tam notam esse, ut nulla notior esse possit. Sic negat parentes suos usque ad Adamum, & ipsum denique Deum. scio quod regestus sit, se considerare se ipsum hic ut rem cogitantem, .i. ut mentem tantummodo, quæ eam causarum seriem non habeat. esto, at habet tamen causam, Deum videlicet, atque ideo ab illius existentia immediatus progressus est ad existentiam causæ primæ atque etiam unicæ, & invictum perstat argumentum hoc in via Thomæ. Quod ait existentiam suam sibi tam notam esse ut nulla notior esse possit, nihil ad rem facit, neque enim inde sequitur eam revera independentem esse, aut ab

ejus,

ejus existentia ad existentiam Dei procedi non posse. Iam quod negationem processus in infinitum in causis subordinatis, tantum ad imbecillitatem sui intellectus refert, quasi eæ nihilominus in re infinitæ esse possint, atque ita nullus Deus esse, eamque confert cum quantitate in infinitum divisibili, quæ tamen infinitas non possit à mente nostra pertransiri, prorsus ineptum, & simile ἀπεροδορίων est. Quia possibilia, sicut sunt in potentia tantum (qualis est illa divisio continui) ita possunt esse infinita syncategorematicè, ut ajunt, seu indeterminate, at impossibile est dari causas Α Ο Τ V subordinatas infinitas numero. quod sequeretur si in eas nulla revera esset prima. v. quæ de hac re disputat Suarez Disp. Metaph. 29. sect. 1. t. 25. usque ad 40 inclusam.

Iam veniamus ad argumenta Thomæ pro existentia Dei, quæ omnia rejicit Cartesius, neve solus insanire videatur, Gregorium de Valentia Iesuitam sibi socium affiscit, eum theologum solidissimum & celeberrimum vocat, eumque OMNIA illa refutasse & invalida ostendisse ait. profecto, si viveret Valentia, laudes quas ei assentator Cartesius ascribit, non impedirent, quo minus tam atrocem injuriam ad animum revocaret. tantum enim abest ut OMNIA Thomæ argumenta pro existen-

tia Dei refutet, ut contra ea omnia contra adversariorum cavillationes defendat. v. ejus Disp. 1. Quæst. 2. punct. 1. 2. 3. per totum. Verum est (& eo videtur respicere Cartesius) quod proposito argumento contra omnes rationes simul, respondeat: *Concedo, nullam harum rationum, aut omnes simul, probare per se, quod primum illud movens sit etiam unum numero, infinitum, immateriale &c. caterum ex hoc non sequitur aliud (attende Cartesi) quam non probari his rationibus QUID SIT DEVS, seu qualis sit natura Dei, prout nostro modo imperfecte potest etiam à nobis cognosci, & in sequentibus questionibus videbimus, MINIME autem inde sequitur, non probari his rationibus DEVM ESSE, eo modo probationis qui SVFFICIAT (attende iterum Cartesi, qui rationes Thomæ ad hoc negas SVFFICERE) ad satisfaciendum questioni AN EST, de qua tantum hic agimus. Et ratio est, quia ut huic questioni AN EST satisfiat per se, satis est probari veritatem illorum conceptuum, quos imperfecte & confuse solemus in mente formare, cum rei nomen audimus, ita scilicet, ut constet ex probatione, eos conceptus non esse commentitios, sed aliquod ens omnino esse in rerum natura quod illis respondeat. Probare vero conceptus alios magis distinctos, quibus ulterius cognoscimus,*

mus, cuius
questionem
fionem
nes min
igitur, ca
niter sola
se, vi pr
vens, ut
cludunt.
qua scilicet
movens,
QVID
riale, inf
TIS tam
erim ali
de natura
tur etiam
tuta jam
questione
D. Tho
question
simplici
perfectio
questione
negat, pr
ma Deum
Dei non
id proba
ratione
que ra
satis di

mus, cujusmodinam sit ea res, pertinet ad questionem QUID SIT, non autem ad questionem AN SIT. Alias ista dua questiones minime distinguerentur. In proposito igitur, cum Dei nomen audimus, communiter solemus concipere imperfecte & confusse, vel primam causam, vel primum movens, vel alia, qua rationes D. Thoma concludunt. Quamobrem rationes ejusmodi, qua scilicet probant esse aliquod primum movens, efficiens, &c. etsi non probent QUID & QVALE illud sit, scil. immateriale, infinitum, unum numero &c. SATIS tamen probant DEVM ESSE. Illa enim alia probare, pertinet ad questionem de natura & quidditate divina: & probantur etiam non admodum difficulter, constituta jam veritate divina entitatis, juxta questionem AN EST. Atque hinc fit quod D. Thomas, non nisi post expeditam hanc questionem AN EST, disputat de unitate, simplicitate, aternitate, & aliis ejusmodi perfectionibus divinis, ut videbimus, in sequentibus. Quocirca, cum Cajetanus hic negat, probari per se his rationibus D. Thoma Deum esse, eo quod non probatur illis Dei unitas, & infinitas, & concedit tantum, id probari per accidens, ut scilicet ejusmodi rationes concludunt esse quadam predicata, qua in rei veritate soli Deo conveniunt; non satis distinxisse videtur inter questionem

AN

AN EST & QUID EST. Idem de Cartesio dicimus, quem rogamus, si proprios suos Theologos ei animus est insectari, ut saltem verum de iis dicat. vel si sine libris philosophari vult, abstineat à citandis auctoribus quos non inspexit. Denique considerent Domini Sorbonistæ, an non nullo eos suspenderit Cartesius, cum diceret præfat. Meditat. quod & repetit. Epist. ad Voet. pag. 254. *existimare se, rationes fere omnes quæ pro hac re à magnis viris allatæ sicut, cum satis intelliguntur, vim demonstrationis habere.* profecto, vel Thomam inter magnos illos viros non numerat Cartesius, vel argumenta ejus omnia pro invalidis non debent traduci, vel ipse Thomas sua argumenta non satis intellexit. eligat quod volet Cartesius, & assertio- num suarum absurditatem videbit.

CAPVT XI.

Octavus Methodi gradus: Cartesius in mente sua invenit rerum multarum ideas. inter eas, ideam Dei. quam mirifice explicat. 1. per imaginem & similitudinem. 2. per rem cogitatam, ut est objective in intellectu. 3. per cujuslibet cogitationis formam &c. cui 4. accenset volitionem.

Et timorem. 5. collectionem per argumen-
ta. 6. id quod ratione evincitur. 7. fa-
cultatem ideas eliciendi. 8. notiones, con-
ceptus, judicia. Et. dicit se habere ideam
intellectus infiniti. ideam arbitrii sui, cu-
jus libertatem libertati voluntatis divinae
aequat. infiniti numeri. angeli, compo-
sitam ex idea Dei Et hominum. ipsius de-
nique Nihili. Examinantur haec. Et tum
locutionum improprietas, tum multiplex
contradictio Et falsitas in iis castiga-
tur.

R Ejecta communi via demonstrandi
existentiam Dei ex effectis, videamus
ambages, per quas cognita jam
sua existentia, ad existentiam Dei enitatur
Cartesius. ea sunt, ideae quas in mente
sua invenit. de quibus in Principiis pag. 5.
ita orditur: *Cum autem mens, qua se ipsam
novit, Et de aliis omnibus rebus adhuc du-
bitat, undiquaque circumspicit, ut cognitio-
nem suam ulterius extendat; primo quidem
invenit apud se multarum rerum ideas, quas
quamdiu tantum contempletur, nihilque
ipsis simile extra se esse affirmat aut negat,
falli non potest. Invenit etiam communes
quasdam notiones, Et ex his varias demon-
strationes componit, ad quas quamdiu at-
tendit, omnino sibi persuadet esse veras. Sic.*
exempli

exempli causâ, numerorum & figurarum ideas in se habet, habetque etiam inter communes notiones, quod si aequalibus aequalia addas, qua inde exurgunt erunt aequalia, & similes, ex quibus facile demonstratur tres angulos trianguli aequales esse duobus rectis &c. ac proinde hæc & talia sibi persuadet vera esse, quamdiu ad præmissas, ex quibus ea deduxit attendit.

Κεῖται.

1. Quemadmodum absurdum fuit, quærere mentis existentiam, postquam illam falsam esse præsupposuit, ita hac inventa non minus absurdum est cognitionem ad alia extendere velle, postquam præsupposuit nihil esse in rerum natura, nec ipsum adeo mundum. quod autem non est, nec cognosci quidem potest. 2. Quomodo apud sese invenit multarum rerum ideas, de quibus nec affirmet, nec neget, postquam omnia è mente sua delevit, & omnia NEGAVIT ac pro absolute falsis habuit? 3. quomodo communes notiones, & ex iis compositas demonstrationes pro veris habet, postquam omnia principia per se nota, & ipsas adeo mathematicas demonstrationes eodem quo cætera loco habuit, ut vidimus Princip. pag. 2?

3. Revocemus hæc, animi gratia, ad similitudinem

tudinem, de corbe & pomis. corbis est mens, poma sunt opiniones & imagines rerum. ne iis quid falsi subfit, omnes effundit, & ipsam quoque corbem quam longe potest projicit, id est, mentem ipsam negat. postmodum pœnitentia ductus corbem requirit & invenit, nec vacuum invenit, sed pomis plenum, i. e. mentem plenam ideis, communibus notionibus &c. quærere libet, quomodo poma in vacuum corbem rediere unde ejecta erant? quomodo imagines, & communes notionnes in mentem unde expulsæ erant? fortasse, quemadmodum ipsa olera olla legit, ita ipsa corbis disjecta poma recollegit, & quidem putrida cum sanis, quod tamen fieri nolebat is qui ea effuderat, sed prius quæ integra, quæ corrupta essent examinari. Hæc ostendunt quam ridicula, quam falsa, quam minime cum sequentibus cohærens sit jactata illa omnium rerum abdicatio. quod & suboluit Cartesio initio Medit. 3. ubi ait: *Claudam nunc oculos, aures obturabo, avocabo omnes sensus, IMAGINES etiam rerum corporalium omnes vel EX COGITATIONE MEA DELEBO, vel QVIA FIERI ID VIX POTEST illas ut inanes & falsas, nihili pendam.* Conatus ergo quidem fuit rusticus è corbe, poma projicere, sed non potuit, ideo illa in corbe reliquit, satis habens, omnia
 ut

ut putrida & corrupta nihili pendere. ita Cartesio conanti imagines omnes atque etiam communes notiones ex animo delere, infeliciter conatus cessit, ideo eas inibi reliquit, sed omnes pro falsis habuit, ac nihili pendit. quæro ergo quid illum moverit, ut postea nonnullas ex iis sibi persuadeat esse veras? ratio est in his verbis: *quamdiu ad illas attendit*. Non attenderat ergo ad eas, cum omnes tam furiose projiceret, & judicaret omnes esse dubias, imo absolute falsas. Antequam hoc faceret, *ad illas attendendum* erat, nec post prolatam sententiam cognitio causæ differenda. Verum pergamus.

Sed quia non potest (mens) semper ad illas (demonstrationum præmissas) attendere, cum postea recordatur se nondum scire an fortè talis natura creata sit, ut fallatur etiam in iis, quæ ipsi evidentissima apparent, vider se merito de talibus dubitare, nec ullam habere posse certam scientiam, priusquam suæ auctorem originis agnoverit.

Considerans deinde inter diversas ideas, quas apud se habet, unam esse entis summe intelligentis, summe potentis & summe perfecti, quæ omnium longe præcipua est, agnoscit in ipsa existentiam, non possibilem & contingentem tantum, quemadmodum in ideis omnium aliarum rerum, quas distin-

ctæ

Et percipit, sed omnino necessariam & aternam, atque ex eo solo plane concludere debet, ens summe perfectum existere.

Κείσις.

Putabam nos portum tenere, & enavigasse è salo dubitationum, idque beneficio attentionis, per quam persuademur aliquas in mente nostra inventas imagines, item præmissas, & ex iis collectas demonstrationes esse veras. sed malo quodam fato ad pristinas dubitationes iterum revolvimur. idque duabus de causis. 1. quia non semper possumus ad illas attendere. 2. quia forte in his omnibus decipimur. unde 3. oporteat suæ auctore originis nosse, priusquam de ulla re quicquam certi statuatur. 4. ille concluditur ex idea quam de ipso habemus &c. sed Resp. ad primum: si defectus perpetuæ attentionis facit ut merito de re aliqua dubitetur, sequitur etiam de Deo & rebus omnibus dubitandum, postquam illum cognovimus. nam non semper possumus ad ejus cognitionem attendere, ut patet in somno. secundum de deceptione antea excussum est. Tertium etiam falsum est, cum tam athei sciant bis duo esse quatuor, quam ii qui Deum norunt. & qui falsos Deos coluerunt, puta Archimedis & Euclides, majores fuerunt mathe-

mathematici, quam plerique è Christianis, quos illorum discipulos esse non pudet. quin ex illorum libris ipsum Cartesium demonstrationem suam de triangulo &c. hausisse credibilius est, quam ex ideis quas apud se invenit. 4. De idea Dei, an sit, quid sit, & quid ex ea concludi possit jam disquirendum. Ac primo quid per ideas in genere intelligat, in quo tam anceps tamque varius est, ut mirum sit, hominem principiorum suorum evidentiam & constantiam jactare audere. age incipiamus, & ipsa auctoris verba afferamus:

1. Nunc autem, inquit, ordo videtur exigere, ut prius omnes meas Cogitationes in certa genera distribuam. quadam ex his tanquam rerum IMAGINES sunt. quibus SOLIS proprie convenit IDEÆ nomen, ut cum hominem, vel chimeram, vel cœlum, vel angelum, vel DEVM cogito. alia vero (cogitationes) alias quasdam præterea formas habent, ut cum volo, cum timeo, cum affirmo, cum nego, semper quidem aliquam rem ut subjectum mea cogitationis apprehendo, sed aliquid etiam amplius, quam istius rei SIMILITVDINEM cogitatione complector; & ex his alia voluntates, sive affectus, alia autem iudicia appellantur. Iam quod ad IDEAS attinet si sola in se spectentur &c. Med.3. p.30.

2. IDEA est res ipsa cogitata, quatenus est

est objective in intellectu. p. 108.

3. IDEÆ nomine intelligo CUIUSLIBET COGITATIONIS FORMAM illam, per cuius immediatam perceptionem ipsius ejusdem COGITATIONIS conscius sum. Resp. ad secundas object. p. 178.

4. Atqui ego passim ubique ostendo me nomen IDEÆ sumere pro omni eo quod immediate à mente percipitur, adeo ut, cum VOLO & TIMEO, quia simul percipio me velle, & timere, ipsa VOLITIO & TIMOR inter IDEAS à me numeretur. Resp. ad Object. tertias p. 205.

5. Cum adversarius ei objiceret, Solis ideam unicam uno tempore videri esse, si-ve spectetur oculis, si-ve ratiocinatione intelligatur esse multoties major quam videtur; Nam hanc alteram non esse ideam solis, sed COLLECTIONEM PER ARGUMENTA, ideam solis multoties fore majorem, si multo propius spectaretur: respondet: Hic quoque quod dicitur non esse idea, & tamen describitur, est ID IPSVM QVOD EGO IDEAM VOOCO. ib. p. 209.

6. Notavi sæpius, me nominare ideam ID IPSVM QVOD RATIONE EVINCITVR. ib. p. 211.

7. Quam autem habeam ejus (Dei) ideam facile explico, dicendo me per ideam intelligere omne id quod est FORMA ALICVIUS PERCEPTIONIS, quis enim est
qui

qui non percipiat se aliquid intelligere, ac proinde qui non habeat istam formam sive ideam intellectionis? ib. p. 214.

8. Cum dicimus, ideam aliquam nobis esse innatam, non intelligimus illam nobis semper obversari, sic enim NULLA PRORSUS esset innata, sed tantum nos habere in nobis ipsis FACULTATEM ILLAM ELICIENDI. ib. p. 215.

9. Primo attendendo ad ideas sive NOTIONES quas de unaquaque re apud me inveniebam, & unas ab aliis diligenter distinguendo, ut IUDICIA omnia mea cum ipsis consentirent &c. Resp. septimæ pag. 488.

10. Etiam si earum rerum quas corporeas esse supponebam, tales saepe ideas sive CONCEPTVS effingerem. ib. p. 490.

11. Animadverto, non tantum DEI sive entis summe perfecti REALEM & POSITIVAM, sed etiam, ut ita loquar, NIHILI, sive ejus quod ab omni perfectione summe abest NEGATIVAM quandam IDEAM mihi obversari. Medit. 4. p. 51.

12. Si facultatem intelligendi considero, statim agnosco perexiguam illam, & valde finitam in me esse, simulque alterius cujusdam multo majoris, imo maxima, atque INFINITÆ IDEAM formo, eamque ad DEI naturam pertinere percipio. Med. 4. pag. 55.

13. Sola

13. *Sola est voluntas, sive arbitrii libertas, quam TANTAM IN ME experior, ut nullius majoris IDEAM apprehendam, adeo ut illa precipue sit, ratione cujus IMAGINEM quandam & SIMILITVDINEM DEI me referre intelligo. nam quamvis maior absque comparatione in Deo quam in me sit, ratione cognitionis, potentia, objecti, non tamen in se formaliter & precise spectata maior videtur. v. seqq. ib.*

14. *Ideam quam habemus, exempli gratia, intellectus divini, non differre ab ea quam habemus nostri intellectus, nisi tantum ut IDEAM NUMERI INFINITI differt ab idea quaternarii, aut binarii; atque idem esse de singulis Dei attributis, quorum aliquod in nobis vestigium agnoscimus. Resp. ad secundas object. p. 151.*

15. *IDEAM ANGELI ex ideis quas habemus DEI & HOMINVM componi posse. Medit. 3. p. 38. Resp. ad secundas object. p. 153.*

16. *Qui autem negant se habere IDEAM DEI, sed vice illius efformant aliquod IDOLVM, &c. Nomen negant, & rem concedunt. Neque enim ego istam ideam puto esse ejusdem natura cum imaginibus rerum materialium in phantasia depictis, sed esse id tantum, quod intellectu, SIVE APPREHENDENTE, SIVE IUDICANTE, SIVE RATIOCINANTE percipimus. ib.*

17. *Quis-*

17. *Quisquis enim DEVM aut MEN-
TEM ita sibi representat (ut res corporeas,
vel quasi corporeas &c.) rem NON IMA-
GINABILEM conatur IMAGINARI,
& nihil nisi corpoream ideam effingit, cui
nomen Dei vel mentis falso tribuit. Nam
in vera mentis idea, sola COGITATIO
cum ejus attributis, quorum nulla corporea
sunt, continetur.* Resp. ad Gassend. p. 264.

Κεῖσις.

1. Quum Cartesius Resp. ad Object. 3.
pag. 205. profiteatur se ideæ nomine uti,
quia jam tritum sit à philosophis, & nul-
lum aptius habeat, æquum erat cum in
ea significatione eo uti, in qua philosophis
usitatum est, quod tamen non facit. est
enim Idea philosophis, atque etiam theo-
logis in communi usu, forma (non specu-
lativa, sed) practica, juxta quam artifex
operatur, & ei simile foris producit. cu-
jusmodi idea Dei si esset in homine, pos-
set ad ejus imitationem homo alium De-
um efficere.

2. Pari improprietate laborat apud
ipsum *to objective esse in intellectu*, quod
interpretatur, *esse in intellectu eo modo quo
objecta in illo esse solent.* Resp. ad object.
p. 109. hoc est, *representative, sive tan-
quam in imagine.* Princip. p. 7. cum scho-
lasticis,

laticis, qui eam phrasin excogitarunt, usurpetur de entibus rationis, quæ *nusquam nisi in intellectu sunt*. nam reliqua *objective extra intellectum esse* sciscunt: species autem eorum *in intellectu esse*, non *objective*, sed *formaliter*. quod prorsus ablutit ab acceptione Cartesiana. Sed donemus ei suas ἀνεργολογίας, præsertim cum sine libris philosophetur, ac *Vereatur* alicubi, *ne forte, quia in legendis philosophorum libris nunquam valde multum temporis impendit, non satis ipsorum loquendi modum secutus sit*. Resp. ad object. 4. p. 270. 271. hunc ejus timorem non de nihilo fuisse hic geminum specimen habemus.

3. Videamus ergo quomodo ipse vocem *ideæ* in suis scriptis accipiat. in quo miras vacillationes animadvertemus. prout enim ab hoc vel illo adversario in angustias redigitur, aliam atque aliam significationem comminiscitur, ut elabatur. Id quod jam apparebit.

§. 1. Ideam accipit pro **IMAGINE & SIMILITUDINE**, idque etiam tunc cum **DEUM** cogitat. at §. 17. Deum **INIMAGINABLEM** asserit esse, atque ita prius illud evertit.

§. 1. & 9. Ideam distinguit ab affirmatione, negatione, affectibus, ut voluntate, timore, item judiciis. at §. 3. Ideæ nomine intelligit **CUJUSLIBET COGITATIONIS**

E

TIONIS

TIONIS formam. §. 4. etiam VOLITIONEM & TIDOREM. §. 5. COLLECTIONEM PER ARGUMENTA. §. 6. id ipsum quod RATIONE EVINCITVR. §. 16. id quod intellectu siue apprehendente, siue JUDICANTE siue RATIOCINANTE percipimus.

In superioribus, & passim se MULTARUM RERUM IDEAS apud se reperire asserit, at hic §. 8. se NULLAM PRORSUS innatam ideam habere ait, sed FACULTATEM tantum eas eliciendi.

§. 2. Ait ideam esse rem ipsam cogitaram, quatenus est objective in intellectu. quæ verba, licet obscurissima phrasi, tamen idea ipsum objectum repræsentari innuunt: at §. 3. ait eam esse cujuslibet cogitationis formam illam, per cujus immediatam perceptionem ipsius ejusdem cogitationis conscius sit, ponit ergo rationem ideæ non in objecti perceptione, sed in reflexione super eum actum: ut hæc sit idea Dei, cum quis dicit: scio me cogitare aliquid de Deo. at hæc non est idea Dei, sed cogitationis tuæ. Ejusmodi cōradictionibus scætet hæc doctrina. cujus præcipua jam excutiemus.

Quod igitur præcipuum est in hoc negotio: falsissimum est Deum cognosci per ideam, .i. imaginem & similitudinem, quod tamen docet Cartesius §. 1. cum absurdissimum sit, cum IMAGINARI qui INIMAGINA-

GINA-

IMAGINABILIS est. ut ipse præclare docet
 §. 17. cumque rerum **IMAGINIBVS SO-**
LIS PROPRIE ideæ nomen convenire fa-
 teatur, nulla in hac ejus opinione vel ve-
 ritas vel proprietas est. Nec obstat, quod
 negat se intelligere imaginem qualis est rei
 corporeæ, nam eadem opera imaginem
 ejus absolute tollit. eo enim ipso quod
 Deus non sit res corporea, Cartesio judi-
 ce est **INIMAGINABILIS**. unde qui si-
 militudinem rei corporeæ ejus vice effor-
 mant, **IDOLVM** (in mente sua) fabricare
 ab ipso recte insimulantur §. 16. Quod &
 egregie observavit auctor tertiarum ob-
 jectionum object. 5. *Ad nomen*, inquit,
venerandum Dei NULLAM habemus
IMAGINEM sive IDEAM, ideoque
prohibemur Deum SVB IMAGINE ado-
rare, ne illum qui INCONCEPTIBI-
LIS est, videamur nobis concipere. ubi
 & aliud periculum observandum. qui e-
 nim Deum sibi per imaginofam ideam in
 mente depingunt, eum postea & foris per
 scalprum & penicillum sibi deformandum
 plerumque putant, atque ita ab interna
 hac, in externam quoque *ειδωλοποιίαν*
 prolabuntur. exemplo sit Coppensteinius
 qui Catech. Excalviniz. q. 97. ad 2. præcep-
 tum, ait: *Deus quoad essentiam effigiari ne-*
quit, neque se cuiquam ostendit. Quoad no-
strum INTELLIGENDI modum, qui

E 2.

PHAN-

PHANTASMATA speculamur, effigiari potest. v. not. nostras in Disp. Metaph. Suarez. pag. 562. ubi & necessitatem speculandi phantasmata, ad sola sensibilia restringendam esse è Jesuitis Sirmondo & Hurtado docuimus. Jucundum erit hic considerare quæ ipse Cartesius habet, licet in re nonnihil diversa, Dioptrices cap. 4. p. 97. *Observandum*, inquit, *animam nullis imaginibus ab objectis ad cerebrum missis egere ut sentiat. quum enim circa eas (philosophi) nihil considerent præter SIMILITVDINEM earum cum objectis quæ representant, non possunt explicare, quæ ratione ab objectis formari queant, & recipi ab organis sensuum &c. Nec alia causa imagines istas FINGERE eos impulit, nisi quod uiderent mentem nostram efficaciter PICTVRA excitari ad apprehendendum objectum illud quod exhibet: ex hoc enim judicarunt, illam eodem modo excitandam ad apprehendenda ea quæ sensus movent, per exiguas quasdam imagines in capite nostro delineatas. Sed nobis contra est advertendum, multa præter imagines esse quæ cogitationem excitant, ut ex. gr. verba, ut signa, NVLLO MODO SIMILIA iis quæ significant. Quid hæc veri habeant in imaginibus rerum sensibilium, disputent physiologi, at certe si ad mentem, & res insensibiles applicentur, non exiguam negotio*

gocio quod præ manibus est lucem fenestrari possunt. præsertim postrema illa, quæ quovis auro cariora sunt, ut enim foris per verba Deum exprimimus quæ tamen NULO MODO ei sunt SIMILIA, ita & de verborum mentis est judicandum, quo cum cogitamus.

Hiscæ animadversis, jam colligere pronum est, quot falsitatibus reliqua quæ de ideis statuit scateant. Falsum enim est omnes conceptus, cogitationes, notiones, apprehensiones, judicia, ratiocinia esse ideas. quis unquam terminos simplices, complexosve, .i. enunciata, syllogismos &c. imagines aut ideas vocavit? falsum est in intellectu finito dari ideam rei infinitæ. falsum, dari ideam infiniti numeri, qui nec est nec esse potest. falsum & plusquam Pelagianum est, ideam libertatis, atque ipsam libertatem quæ in Deo est, ratione quidem cognitionis & objecti nostra majorem esse, formaliter tamen & præcise spectatam majorem nostra non esse. Falsum, Ideam angeli ex idea Dei & hominû recte componi, (licet ab intellectu errante quædam hinc, quædam inde attributa desumi & invicem possunt confundi) ita enim angeli partim homines partim Dii essent, aut idea objectum suum non repræsentaret. Falsum est dari ideam ipsius Nihili. neque enim potest intelligi,

esse ideam, & non esse objectum: esse imaginem, & nullius rei imaginem esse. Habere naturam ideæ, cujus est aliquid repræsentare, & esse tamen quid negativum, & nihil repræsentare. Falsum, actum volendi & timendi ideas esse, cum idea in solo intellectu sit, non etiam in voluntate.

Libet quærere: Hæccine sunt poma illa integra & vegeta, quæ reliquis omnibus rejectis, in corbem suam recollegit Cartesius? Et hi sunt lapides illi pretiosi, solidi, quadrati, ad quos inveniendos totum ædificium diruendum fuit, quosque solos demonstrationi existentiae Dei, ut immobile fundamentum supposuit? quid aliis videatur miror, mihi quidem hæc poma non solum putria, sed & pestilentia esse, & hi lapides omnium maxime cariosi atque àbsoni, imo ne lapides quidem, sed merum cœnum & lutum videntur esse.

Ut tamen plene hæc res excutiat, videndum, an aliquid saltem veri in hisce delitescat, quo postea ad demonstrationem uti possimus. nam labantem hic non modo, sed prorsus jacentem adversarium, si qua fieri possit sine jactura veritatis, sublevare posse optarem. Hoc igitur veri habent Cartesiana, Esse in humana mentemotiones quædam, *conceptus*, *apprehensiones* de Deo, & ex iis posse procedi ad existentiam Dei, non tamen via Cartesiana,

hana, sed communi & veteri, ut in sequentibus patebit. Et optandum esset Cartesium illis potuisse acquiescere, verum dum nova invenire vult, & vetera ac vera amisit, & nihil eis sani aut solidi substituit.

Quid quod & vera hæc non patitur esse vera, ita dubius & anceps est, sed quemadmodum capra seriam lactis impacta calce evertit, ita hic suas meliores sententias negat enim quicquam horum nobis innatum esse, sed solam facultatem ea eliciendi. si dixisset non semper quidem nobis actum cognitionis de Deo obversari, habere tamen nos notitiam ejus habitualem nobis insitam, & ex ea per rectæ rationis reliquias actus cognitionis elicere posse, nihil dixisset quod reprehensioni esset opportunum, nunc ita actum tollit, ut pariter tollat habitum, & solam facultatem qua ad Dei cognitionem pervenire possimus nobis relinquat. quod est (si recte ego rem capio, libenter autem hic iudicium peritiorum accipiam) cognitionem Dei *insitam*, negare, & solam *acquistam* sive acquirendam confiteri.

Videamus jam, quomodo ex Idea Dei quam sibi finxit, ejus colligat existentiam. Et prima quidem ratio est, ejus ideæ *claritas*. quia videlicet *maxime clara & distincta* est. Medit 3. p. 41. 42. *adeo clara & distincta*

E. 4.

distincta

distincta idea entis independentis & comple-
 ti, hoc est Dei, mihi (inquit) occurrit; &
 ex hoc uno quod talis idea in me sit, sive
 quod ego ideam illam habens existam, adeo
 manifeste concludo Deum etiam existere,
 atque ab illo singulis momentis existentiam
 meam dependere, ut nihil evidentius, nihil
 certius ab humano ingenio cognosci posse
 confidam. Iamque videre videor aliquam
 viam per quam ab ista contemplatione veri
 Dei, in quo nempe sunt omnes thesauri sci-
 entiarum & sapientia absconditi, ad cetera-
 rum rerum cognitionem deveniatur. Med. 4.
 P. 50.

Meum argumentum (inquit) fuit tale:
 Quod clare & distincte intelligimus pertine-
 re ad alicujus rei veram & immutabilem
 naturam sive essentiam, sive formam, id
 potest de ea re cum veritate affirmari, sed
 postquam satis accurate investigavimus quid
 sit Deus, clare & distincte intelligimus ad
 ejus veram & immutabilem naturam per-
 tinere ut existat; Ergo tunc cum veritate
 possumus de Deo affirmare quod existat.
 Vbi saltem conclusio recte procedit. Sed ne-
 que etiam major potest negari, quia jam
 ante concessum est illud omne quod clare &
 distincte intelligimus, esse verum. Resp. ad
 1. object. p. 124. v. & Resp. ad 2. object.
 p. 166. 186. Lumen natura (ait) sive cog-
 noscendi facultatem à Deo nobis datam,
 nullum.

nullum unquam objectum posse attingere,
 quod non sit verum, quatenus ab ipsa at-
 tingitur, hoc est, quatenus clare & distincte
 percipitur. Princip. part. i. p. ii. Certum
 est, nihil nos unquam falsum pro vero ad-
 missuros, si tantum iis assensum praebeamus
 quae clare & distincte percipimus. Certum
 inquam, quia cum Deus non sit fallax, fa-
 cultas percipiendi quam nobis dedit, non po-
 test tendere in falsum, ut neque etiam fa-
 cultas assentiendi, cum tantum ad ea quae
 clare percipiuntur se extendit. Et quamvis
 hoc nulla ratione probaretur, ita omnium
 animis à natura impressum est, ut quoties
 aliquid clare percipimus, ei sponte assentia-
 mur, & nullo modo possimus dubitare an
 sit verum. p. 16. Ad perceptionem cui cer-
 tum & indubitatum iudicium possit inniti,
 non modo requiritur ut sis clara, sed etiam
 ut sit distincta. Claram voco illam, quae
 menti attendenti praesens & aperta est; sicut
 ea clare à nobis videri dicimus, quae oculo
 intuenti praesentia, satis fortiter & aperte
 illum movent. Distinctam autem illam,
 quae, cum clara sit, ab omnibus aliis ita se-
 juncta est & precisa, ut nihil plane aliud
 quam quod clarum est in se contineat. p. 17.
 Materiae rerum naturalium id applicans,
 & ex ejus idea ejus existentiam deducens,
 pro ratione affert: Ipsam enim clare in-
 telligimus, tanquam rem à Deo, & à no-
 bis,

bis, sive à mente nostra plane diversam; ac etiam clare **VIDERE**. **NOBIS VIDEMUR**, ejus ideam à rebus extra nos positis, quibus omnino similis est, advenire. part. 2. p. 34.

Aliud est clare percipere, ac certo scire. Cum multa, non tantum ex fide divina, sed etiam quia prius clare ea perspeximus, jam certo sciamus, quæ tamen non clare jam percipimus. Object. & resp. septimæ p. 87.

Quod ea quæ ad fidem pertinent, atque ad vitam agendam, semper exceperim, cum asserui, nulli nos rei assentiri debere nisi quam clare cognoscamus, totius scripti mei contextus ostendit &c. Resp. quartæ pag. 285.

Est distinguendum inter existentiam possibilem & necessariam, notandumque, in eorum quidem omnium quæ clare & distincte intelliguntur conceptus sive idea existentiam **POSSIBILEM** contineri, sed nullibi necessariam, nisi in sola idea Dei. qui enim ad hanc diversitatem quæ est inter ideam Dei & reliquas omnes diligenter attendent, non dubito quin sint percepturi, etiam si ceteras quidem res nunquam intelligamus nisi tanquam existentes, non tamen inde sequi illas existere, sed tantummodo **POSSE EXISTERE**; quia non intelligimus necesse esse ut actualis existentia cum aliis ipsarum proprietatibus conjuncta sit. Ex hoc autem quod intelligamus existentiam actualem necessario

necessario & semper cum reliquis Dei attributis esse conjunctam, sequi omnino Deum existere. Resp. ad primas object. p. 125.

Si attente examinemus, an enti SUMME POTENTI competat existentia, & qualis, poterimus clare & distincte concipere primo illi saltem competere POSSIBILEM existentiam, quemadmodum reliquis omnibus aliis rebus quarum distincta idea in nobis est, etiam iis qua per figmentum intellectus componuntur. Deinde, quia cogitare non possumus ejus existentiam esse possibilem, quin simul etiam ad immerksam ejus POTENTIAM attendentes agnoscamus illud PROPRIA SUA VI posse existere; est enim lumine naturali notissimum, id quod propria sua vi potest existere, semper existere. Atque ita intelligemus existentiam necessariam in idea entis summe POTENTIS contineri, non per figmentum intellectus, sed quia pertinet ad veram & immutabilem naturam talis entis, ut existat. ibid. p. 128.

Quicquid clare percipimus, à Deo fieri potest, prout illud percipimus. Resp. ad secundas object. p. 190.

Relat.

Varia hic argumenta occurrunt, quorum primum est:

E 6

Illud

Illud omne quod clare & distincte intelligimus est verum:

Deum clare & distincte intelligimus: Ergo (eum existere) est verum.

Vel tale:

Cujus claram & distinctam ideam habemus illud vere existit.

Dei claram & distinctam ideam habemus,

Ergo vere existit.

Examinemus hasce præmissas. (nam de conclusione nullum est dubium)

Primæ prioris syllogismi propositionis hic sensus est: Illud omne quod clare & distincte intelligimus, id vere existit. patet ex conclusione, quæ alioqui nulla erit, vel nihil ad rem faciet. ut & ex propositione syllogismi posterioris. At illa falsissima est, cum distincta idea in nobis sit etiam earum rerum QUÆ PER FIGMENTUM INTELLECTUS COMPONUNTUR. ut ipse fateretur ad I. object. p. 128. si distincta, ergo & clara, *distincta enim perceptio nihil plane aliud quam quod clarum est in se continet.* ut ipse ait Princ. part. I. p. 17. an ergo quæ per figmentum intellectus componuntur vere existunt?

Assumptio quoque falsissima est, nempe habere nos claram & distinctam ideam Dei, vel nos Deum clare & distincte intelligere.

telligere. quod ut appareat, videamus quomodo Deum describat. Dei nomine, inquit, *intelligo substantiam quandam infinitam, independentem, summe intelligentem, summe potentem, & à qua tum ego ipse, tum aliud omne, siquid aliud extat, quodcumque extat, est creatum.* Medit. 3. p. 40. Tunc, Cartesi, hæc omnia clare & distincte percipis? tunc Deum ut est substantia? & quidem infinita? reliqua non addo. nam hæc sufficiunt. at claram & distinctam cognitionem *substantia*, .i. essentia Dei solis beatis attribuunt tui pontificii, ego vero ne illis quidem, imo nulli creaturæ, sed soli illi qui se per suam essentiam cognoscit, soli inquam Deo. prout hoc alibi nobis contra Suarezium est disputatum. cedo vero, clare & distincte hanc substantiam cognoscis, ut *infinita* est? quis unquam finito intellectui id ausus vindicare? Audio quid reponat, Resp. ad 1. object. pag. 121. idque non nihil ad examen vocabo. *Imprimis, inquit, hic dicam, infinitum, qua infinitum est, nullo quidem modo comprehendendi; sed nihilominus tamen intelligi, quatenus scilicet clare & distincte intelligere aliquam rem talem esse, ut nulli plane in ea limites possunt reperiri, est clare intelligere, illam esse infinitam.* Egregie vero! quasi intelligere quid res aliqua non sit, sit clare intelligere quid sit. quid dico *quid non sit?*

imo.

imo quid in ea reperiri non possit. unde ne illud quidem concludere licet, non esse in ea quicquam tale. hoc profecto est, clare & distincte impotentiam tuam & ignorantiam intelligere, non autem rem ipsam. Præterea, inquit, distinguo inter rationem formalem infiniti, sive infinitatem, & rem quæ est infinita; nam quantum ad infinitatem, etiamsi illam intelligamus esse quam maxime positivam, non tamen nisi negativo quodam modo intelligimus, ex hoc scilicet, quod in re nullam limitationem advertamus; ipsam vero rem quæ est infinita, positive quidem intelligimus, sed non adequate, hoc est, non totum id quod in ea intelligibile est comprehendimus. Hic duo habemus: 1. rem quam maxime positivam negative tantum intelligere, esse eam clare & distincte intelligere. atqui hoc iterum est cognoscere quid res non sit, non autem quid sit. quid dico quid non sit? imo quid in ea non advertas. hoc profecto est clare & distincte cognoscere *inadvertentiam* tuam (ut ita dicam) non rem ipsam. 2. rem infinitam positive, clare, distincte intelligi, sed non totam. ergo inquam, ejus aliquam partem, unde de reliquo iudicium facias. at pars ea vel infinita & ipsa esset, vel finita, si posterius, infiniti natura ex ea non posset intelligi, si prius, eadem in illa intelligenda difficultas esset quæ in toto. sed

audia-

audiamus quomodo hoc illustret. Sed, inquit, quemadmodum in mare oculos convertentes, etsi non totum visu attingamus, nec immensam ejus vastitatem metiamur, dicimur tamen illud videre: & quidem si cominus respiciamus, ut quasi totum simul oculis complectamur, non videmus nisi confuse; ut etiam confuse imaginamur chiliogonum, cum omnia simul ejus latera complectimur; sed si cominus in aliquam maris partem obtutum defigamus, talis visio esse potest valde clara & distincta; ut etiam imaginatio chiliogoni, si tantum ad unum aut alterum ejus latus se extendat. Simili ratione Deum ab humana mente capi non posse cum omnibus Theologis concedo; & ne quidem etiam distincte posse cognosci ab iis qui totum simul conantur animo complecti, & tanquam è longinquo respiciunt: quo sensu dixit S. Thomas, Dei cognitionem sub quadam tantum confusione nobis inesse: Qui autem ad singulas ejus perfectiones attendere, illasque non tam capere, quam ab ipsis capi, & intellectus sui vires omnes in iis contemplan- dis occupare conantur, illi profecto multo ampliorem facilioremque materiam clara & distincta cognitionis in eo inveniunt, quam in ullis rebus creatis. Multa hic possem, sed unum sufficit, id videlicet, quod ab auctore secundarum objectionum fuit observatum, p. 139. Idem, videlicet, quod de toto.

ente

ente infinito, ut loquitur noster, verum est, plane etiam dicendum de quolibet ejus attributo. cum enim quicquid est in Deo sit prorsus infinitum, quis nisi inadæquatissime ut ita loquamur, Dei quidpiam mente potest attingere? quomodo ergo satis clare & distincte investigasti quid sit Deus? addit: *Neque hoc ibi negavit S. Thomas, ut manifestum est ex eo, quod articulo sequenti Deum existere demonstrabile esse affirmat. Ego autem ubicunque dixi Deum clare & distincte posse cognosci, non nisi de hac finita, & ad modulum ingenii nostri accommodata cognitione intellexi &c.* Resp. 1. aliud est, demonstrare, Deum existere, aliud eum clare & distincte cognoscere. 2. qui non nisi finite &c. Deum cognoscit, eum obscure & confuse cognoscit. ut perspicuum est. hæc igitur nihil ad rem.

Observent autem theologiæ studiosi, quantopere hæc à doctrina Spiritus S. divergant. Paulo enim si credimus, dum in via sumus, ex parte cognoscimus, ut infantes loquimur, sapimus, ratiocinamur, per speculum & per anigma cernimus 1. Cor. 13. 9. & seqq. Si hæc Apostolus de se, deque fidelibus reliquis profiteatur, quantæ arrogantæ est, claram & distinctam Dei cognitionem tribuere homini secundum se & naturales suas facultates considerato, prout hic facit Cartesius? hic profecto plusquam

ulusquam sesquipelagianus est.

Secundum Cartesii argumentum delabitur ab existentia ad possibilitatem, estque tale:

Omnium qua clare & distincte intelliguntur existentia saltem possibilis est:

At Deus clare & distincte intelligitur,

Ergo existentia ejus saltem possibilis est.

Quæ ratiocinatio, præterquam quod nihil concludat pro existentia Dei, quod factum oportuit, nihilo quoque melior est præcedente, cum & falsam minorem ex illa repetat, & major quoque veritate careat. Si enim omne quod clare & distincte cognoscitur saltem possibile est, sequitur fabulas Æsopi, & Theogoniam Hesiodi, & Æonas Valentini saltem possibles esse, clare enim & distincte cognoscuntur. Imo propositio hæc: *Contradictoria sunt simul vera*, saltem possibilis erit, quia clara & distincta est. possibilis denique & hæc erit: *Non est Deus*. ob eandem rationem. Atque ita loco existentia Dei, ejus negatio per Cartesianum canonem conficietur.

Tertium argumentum necit ex eo, quod idea Dei præ reliquis peculiare habet, nempe quod *existentiam* actualem in conceptu suo involvat, neque sine ea cogitari possit. ergo, inquit, Deus necessario *existit*. Resp. non sequi, si talem ideam in mente habeam, ei extra mentem aliquod simile

simile respondere, non magis quam ex cuiusvis alterius rei idea id sequitur, nam omnes imaginamur ut *actu existentes*, multæ tamen actu non existunt. & Aristoteles imaginatur materiam ut *ab æterno existentem*, nec tamen id verum est. ita possumus imaginari aliquid ut *necessario existens*, quod tamen tale non est. Mitto jam, quod in descriptione ideæ quam de Deo habere se dicit, *actualis existentia* non occurrit. unde mirum est, quomodo ex ea intentum concludere possit. sed de hoc argumento mox plura.

Multo etiam absurdior est quarta, & superiori subordinata ratiocinatio à summa *Dei potentia* petita. hoc modo: Ex clara *Dei idea*, concipimus ejus existentiam esse *possibilem*. cum autem in eadem concipiatur summa ejus *potentia*, inde colligimus eum ab æterno *existisse*, quia *propria sua vi potest existere*. Resp. primum illud supra refutavimus, & ostendimus, multa nos clare ac distincte concipere quæ non sunt *possibilia*. 2. *potentiam* Dei hic ponit ut causam divinæ *existentiæ*, quasi per eam ex ordine *possibilium* in ordinem *existentium* deducatur. & hoc esse putat, *propria vi existere*. quo nihil magis *ἀθεόλογον*, imo magis blasphemum est. ponit enim 1. in Deo potentiam saltem ordine antequam existat. 2. cum, potentia Dei sit ipsa divi-

na

a natura, prout est causa efficiens cujus-
 que esse participati aut participabilis, sequi-
 tur Deum se ipsum efficere, ac esse parti-
 cipatum habere, aut habere posse. sed hoc
 delirium ortum est ex illo, quod contra
 omnes theologos ac philosophos Deum
 arbitratur esse a se, non negative, sed posi-
 tive. quod diligenter excussimus Suarez.
 op. Disp. 28. p. 504. & seqq. & duabus Dis-
 putationibus super ea quaestione habitis.
 1. ne hic quidem concludit quod intendit,
 nempe esse Deum. sed tantum posse esse.
 propria, inquit, *vi potest existere.* at a posse
 ad esse non valet consequentia, nisi ad po-
 tentiam; accedat voluntas ut applicans,
 scientia ut dirigens: quæ duo in idea Car-
 tesiana non continentur. 4. eodem argu-
 menti genere probabo omnia possibilea re-
 vera existere. simul enim attendam ad sum-
 mam Dei potentiam qua ea potest efficere.
 quæ cum manifestam absurditatem habe-
 ant, nihil quoque hoc Cartesiano argu-
 mento pro existentia Dei profectum est.

Quintum argumentum petitur à quan-
 titate, figuris, numeris &c. quarum claras &
 distinctas ideas in se reperiat quæque, licet
 quodammodo ad arbitrium cogitentur, ta-
 men suas habeant veras, & immutabiles na-
 turas, & aliquid sint, non merum nihil. Ac
 proinde in eodem ad minimum necessitatis
 gradu esse apud ipsum debere Dei existentiam,
 cujus

ejus non minus claram & distinctam ideam, nempe entis summe perfecti apud se reperiat. hac fusc tractat. Medit. 5. In quibus non unum sophisma occurrit. 1. quod è veritatibus mathematicis Dei existentiam demonstrare vult, quas tamen omnes ex animo abjecit, & pro falsis habuit, & quarum veritatem ex existentia Dei probandam esse asseruit. hæc est igitur demonstratio διέλληλθ̄ sive circularis. 2. quod ex immutabili harum rerum natura argumentatur ad actualem Dei existentiam. quæ duo δις Δεῖ πεισῶν differunt. nam illarum rerum natura suo modo manet immutabilis, cum non existunt. prout ab æterno non extiterunt. nihil ergo hæc concludant pro actuali Dei existentia. hoc ipse vidit. nam pag. 64. fatetur, cum triangulum imaginatur; fortasse talem figuram nullibi gentium extra cogitationem suam existere. ita etiam adversarius ejus, i. atheus dicet rem habere, cum imaginatur ens summe perfectum, .i. Deum. pag. 66. huic vulneri medicinam quærit. Cum (inquiens) assuetus sim in aliis omnibus rebus existentiam ab essentia distinguere, facile mihi persuadeo illam etiam ab essentia Dei sejungi posse, atque ita Deum ut non existentem cogitari: sed tamen diligentius attendenti fit manifestum, non magis posse existentiam ab essentia Dei separari, quam ab essentia trianguli magnitudinem.

angulum trium ejus angulorum aequalium
 obus rectis, sive ab idea montis ideam
 vallis: adeo ut non magis repugnet cogitare
 Deum (hoc est ens summe perfectum) cui de-
 sit existentia (hoc est cui desit aliqua perfe-
 ctio) quam cogitare montem cui desit vallis.
 Veruntamen (hic incipit objectio adversa-
 ria) licet (hoc videtur addendum) ne possim
 cogitare Deum nisi existentem, ut
 neque montem sine valle, at certe, ut neque
 cogitem eo quod cogitem montem cum valle, ideo
 sequitur aliquem montem in mundo esse, ita
 neque ex eo quod cogitem Deum ut existen-
 tem, ideo sequi videtur Deum existere: nul-
 lam enim necessitatem cogitatio mea rebus
 imponit; & quemadmodum imaginari licet
 equum alatum, etsi nullus equus habeat alas,
 ita forte Deo existentiam possum affingere,
 quamvis nullus Deus existat. Quomodo
 hunc nodum dissolvat audiamus: Imo,
 inquit, sophisma hic latet. Neque enim ex
 eo quod non possim cogitare montem nisi cum
 valle, sequitur alicubi montem & vallem exi-
 stere, sed tantum, montem & vallem, sive
 existant, sive non existant, à se mutuo se-
 iungi non posse; atqui ex eo quod non possim
 cogitare Deum nisi existentem, sequitur exi-
 stentiam à Deo esse inseparabilem, ac proin-
 de illum revera existere. non quod mea co-
 gitatio hoc efficiat, sive aliquam necessitatem
 ulli alii rei imponat, sed contra, quia ipsius
 rei,

rei, nempe existentia Dei necessitas me determinat ad hoc cogitandum. Neque enim mihi liberum est Deum absque existentia (hoc est, ens summe perfectum absque summa perfectione) cogitare, ut liberum est equum vel cum alis, vel sine alis imaginari. Resp. 1. Concedet adversarius, ex eo quod non possis cogitare Deum nisi existentem, sequi existentiam esse à Deo inseparabilem, sed addet, in mente tua, non in re ipsa: & hinc negabit sequi Deum revera existere. 2. concedet ex tua sententia non sequi cogitationem imponere rebus necessitatem consequentis, sed dicet eam imponere iis necessitatem consequentia. nam ex tua cogitatione deducis veritatem ipsius rei. quod æque absurdum, cum tua cogitatio falsa esse possit. 3. quod ais existentia Dei necessitatem te determinare ad hoc cogitandum. in eo à te principium peti dicet, cum ea necessitas existendi sit ipsum illud quod de Deo demonstrandum tibi erat. 4. quod de equo alato infers sophisticum esse asseret, cum ad solum illud exemplum (ex iis quibus usus es) applicari possit. minime autem ad reliqua duo. Negabit enim tibi liberum esse, triangulum absque angulorum æqualitate cum duos rectis, vel montem sine valle cogitare. itaque etiam illorum respectu (secundum tuum inferendi modum) necessitas rei imponet necessitatem

in cogitationi tuæ, neque tamen ex ea sequitur, te confitente, vera existentia. ita nec c.

Sextum argumentum, cur idea Dei quam habet non sit quid fictitium, sed magis veræ & immutabilis naturæ, ita habet: *quia nulla* (inquit) *alia res potest à se excogitari ad cuius essentiam existentia pertineat, præter solum Deum.* Medit. 5. 68. argumentum tale est: *Si alia res ad cuius essentiam existentia pertineat non potest excogitari, solus Deus talis est.* prius verum, ergo & posterius. Respondebit Atheus, negando maiorem. neque enim sequi, Ergo solus Deus talis est, sed, ergo solus Deus talis esse excogitari potest. unde non sequatur eum revera esse.

Septimum: *quia non possum,* inquit, *duos aut plures ejusmodi Deos intelligere.* ib. Argumentum ita procedit: Si non possum duos aut plures Deos necessario existentes intelligere, ergo unus est. sed non possum. ergo. ib. Respondebit Atheus, negando maiorem. potest enim nullus esse.

Octavum: *quia posito quod jam unus existat, plane videam esse necessarium, ut & ante ab aeterno extiterit, & in aeternum sit mansurus.* ib. Respondebit atheus, id quod ponit Cartesius, non ponendum sed probandum ipsi fuisse, itaque manifestam petitionem principii hic committi.

Re-

120 *Methodi Cartesiana Consideratio.*

Recensuimus vel omnia, vel certe pleraque, ad quæ siqua alia occurrant, facile revocari possint, argumenta Cartesij per quæ, ex idea Dei quam se habere dicit, ejus existentiam concludere conatus est. cassâ, ut vidimus operâ. Nunc videndum, an non saltem ex eâ cognitione quam de Deo nos naturaliter habere certum est, constare possit Deum esse? Respondemus, omnino posse. Verum observandum. 1. Eam cognitionem diversum quid esse ab idea è qua Cartesius argumentatur. eam enim, quicquid tandem sit, incomplezum quid esse oportet, cum ab ea proprie accepta distinguat *affirmationes & negationes*, item *communes notiones*. Medit. 3. p. 30. Princip. I. 1. p. 5. At cognitio quam de Deo naturaliter nos diximus habere, est ipsum illud *complexum*, quod Cartesius ex idea sua conatus fuit inferre, nimirum *Affirmatio illa, & communis notio: DEVS EST*. Hujus porro (quod secundo observandum) veritatem non opus est ut eruamus viâ Cartesianâ, cum ipsa certitudinem suam secum ferat, utpote testimonium divinum, quod Deus in lapsa natura residuum esse voluit, & quod nemo ex animo suo penitus potest delere. si vero ab eo, viâ communi, hoc est argumentando ab effectu ad causam, procedamus, ejus lumen magis ac magis in nobis fovetur ac incrementum capit.

F I N I S.

Sequuntur duæ Disputa-
tiones, ad quas pag. 115.
Lectorem remisimus.

Analectorum Theologicorum
Disputatio XXIV.

DE

Deo ut est Ens à se.

THESIS I.

INter divisiones Entis est ea qua
dicitur id esse vel à se vel ab alio.
prioris appellatio Deo, postero-
ris creaturis tribuitur. Qui mo-
dus loquendi nonnullos ut vel
incautius loquerentur, vel etiam perpe-
ram sentirent induxit, quasi Deus à se ipso
esset tanquam à causa.

II.

Inter illos Hieronymus Tom. 3. in Eph.
3. & Augustinus Tomo 3. De Trinit. lib. 7.
c. 1. & Tomo 4. libro 38. qq. quæst. 15. &
16. recensentur, quorum inconsideratius
& obiter tantum dicta ut benigne inter-
pretemur facile à nobis impetramus.

F

III. At

III.

At durius utroque Lactantius, de falsa religione lib. 1. c. 7. ita Deum à se ipso factum arbitratur, ut ejus æternitatem non obscure neget. Quia, inquit, fieri non potest, quin id quod sit aliquando esse cœperit, consequens est, ut quando nihil ante illum (Deum) fuit, ipse ante omnia ex se ipso sit procreatus: ideoque ab Apolline ἀυτῶφως, .i. ex se ortus: à Sibylla ἀυτογενής, .i. ex se genitus, & ἀγενής, .i. ingenitus, & ἀποίητος, .i. non factus nominatur: Quod Seneca, vir acutus, in Exhortationibus vidit. Nos, inquit, aliunde pendemus. Itaque ad aliquem perspicimus cui quod est optimum in nobis debeamus. Alius nos edidit, alius instruit. **DEVS IPSE SE FECIT.**

IV.

Ubi præter dogmatis absurditatem, notandum 1. quibus testimoniis id prober, nempe Apollinis, Sibyllæ, & ethnici Senecæ. 2. quam aperte ipse id refutet, cum ἀυτῶφως & ἀυτογενής explicat per ἀγενής & ἀποίητος. quæ orthodoxa earum vocum elucidatio est.

V.

Quam etiam recte sequuntur Theologi scholastici. cum enim dicitur Deus esse **A SE**, affirmativam in negativam resolvendam monent, id est, ideo dici à se, quia **NON** est **AB ALIO**. v. 1. Thom. q. 16. a. 5. ad 2.

VI. Idem

VI.

Idem explicar è recentioribus Suarez Disp. Metaphys. 28. Sect. 1. t. 7. his verbis: *Quod dicitur EX SE vel ASE esse, licet positivum esse videatur, tamen SOLAM NEGATIONEM addit ipsi enti. Nam ens non potest esse à se per positivam originem & emanationem, dicitur ergo esse à se, quatenus sine emanatione ab alio, habet esse. per quam negationem nos declaramus positivam & simplicem perfectionem illius entis, quod ita in se & in essentia sua claudit ipsum existere, ut A NULLO illud recipiat. quam perfectionem non habet illud ens, quod esse non habet, nisi id AB ALIO recipiat.*

VII.

E quibus 1. observamus, divisionem Entis in id quod est A SE, & id quod est AB ALIO, in priore membro improprietatem habere, ideoque ex mente eorum qui eam usi sunt, in hanc propriam esse resolvendam: Ens est vel ab ALIO vel NON AB ALIO. aut hanc: Ens est vel AB ALIQUO vel A NULLO.

VIII.

Deinde, cum ait, nos per negationem hanc declarare positivam & simplicem perfectionem hujus entis, id ita sumendum: Nos per attributum hoc REMOVE-RE à Deo eam imperfectionem quam omnes creaturæ habent, quæ est ESSE AB

F 2

ALIO,

ALIO, ut excellentiorem illum & positivum gradum essentiæ divinæ, quem prout in se est, & per positivos conceptus proprios ac simplices concipere non possumus, saltem per ejusmodi conceptus negativos & IMPERFECTIONEM REMOVENTES, aliquatenus cognoscamus. hæc explicatio sumitur ex auctoris t. 5. & sana ac clara est. nec opus erat alteram illam, quæ penderet à distinctione Thomistarum inter essentiã & existentiam, huc advocare.

IX.

De hac explicatione nullus unquam Theologorum (quod sciam) dubitavit. Solus Cartesius aliam, quam suæ Methodo inservire putabat, commentus est. Nempe, Deum A SE esse non negative, eam enim acceptionem nullum in rebus habere fundamentum, sed positive. Medit. p. 118. quod ita explicat: *Quamvis dicere opus non sit, Deum esse causam efficientem sui ipsius, ne forte de verbis disputetur, quia tamen hoc quod à se sit, sive quod nullam à se diversam habeat causam, non à nihilo, sed à reali ejus POTENTIAE immensitate esse percipimus, nobis omnino licet cogitare, illum quodammodo idem præstare respectu sui ipsius, quod CAUSA EFFICIENS respectu sui EFFECTVS.* p. 119. Hinc habemus sequentia:

X. 1. Ac-

X.

1. Acceptionem negativam in rebus nullum habere fundamentum: at quæ talia sunt, falsa sunt. Falsum ergo erit, secundum Cartesium, Deum A NVLLO vel NON AB ALIO esse.

XI.

2. Locutionem illam: Deum esse CAUSAM EFFICIENTEM sui ipsius, non rejici à Cartesio ut impiam & *δυσφημεν*, sed præteriri tantum, *ne forte de verbis disputetur*, quasi ejus absurditas non realis, sed tantum verbalis esset.

XII.

3. Idem inde colligirur, quia hoc quod Deus A SE sit, ita exponit, quod nullam A SE DIVERSAM habeat causam. non ausus absolute dicere, quod NULLAM habeat causam, putat enim eum sibi ipsi quodammodo causam esse. p. 117.

XIII.

4. Et quidem EFFICIENTEM, quia in hoc ad immensitatem POTENTIÆ recurrit, quæ tantum consideratur in ordine ad OPERATIONES. imo & EFFICIENTIS & EFFECTUS vocabulis discrete utitur.

XIV.

5. Quod enim id involvit hisce verbis: Deum quodammodo idem prestare respectu sui ipsius, quod causa efficiens respectu sui esse.

effectus, eo sese non evolvit. nihil enim idem potest præstare quod causa, nisi ipsum sit causa, & quidem in eodem causæ genere. quam hic EFFICIENTEM esse quilibet videt.

XV.

Idem quam luculentissime patet, ubi dicit, *causam illam in qua tantum potentia est, ut rem extra se positam CONSERVET, tanto magis se ipsam sua propria POTENTIA CONSERVARE, atque adeo A SE ESSE.* p. 119.

XVI.

Ubi fortissimo nodo constringitur, si enim Deus sua potentia se conservet, eo argumento, quod ea conservet res extra se positas, sequitur eum eadem sua potentia se ipsum produxisse, quia produxit res extra se positas. maxime, quia Cartesius (cum multis) conservationem tantum continuatam creationem esse putat. Et hoc maxime hic quærebatur, nam *τὸ A SE & AB ALIO* magis ad productionem respicit quam ad conservationem.

XVII.

Quæ ut sunt in se falsissima, ita falsum quòque (in quo latebrās quærit adversarius) *nobis omnino hoc licere cogitare.* Ut enim attributa quædam Dei per alia velut à priori demonstrantur, propter imperfectum nostrum concipiendi modum, desumptum.

tum ab ordine quem in creaturis observamus, Theologis non est insolens, sed ut ipsa existentia Dei cogitetur tanquam habens pro causa divinam potentiam, prorsus ἀθεόλογον est, nec quicquam simile aut analogum in creaturis reperitur.

XVIII.

Qui ergo talia defendenda sumit (utur verbis Auctoris quartarum Objectionum pag. 246.) *Monendus mihi videtur, ut hac attente diligenterque consideret, quia certo scio vix ullum Theologum reperiri posse, qui non ea propositione offendatur, Quod Deus à se ipso sit positive & tanquam à causa.*

Analectorum Theologorum
Disputatio XXV.

DE

Deo ut est Ens à se,

ALTERA.

THESIS I.



Uo sensu Deus à se fit, & quam veritati adversa sit opinio Cartesij, superiori Disputatione demonstravimus. Quum autem

E 4

is co

is eo nomine à propriæ suæ religionis Theologis undique impeteretur, varia *κερησφύγηται* adinvenit in quibus lateret. Ex iis ergo nobis extrahendus est.

I I.

1. Negat se dixisse, imo affirmat negasse, Deum esse causam efficientem sui ipsius, quia dixerit: *idem quodammodo præstare*, quo ostenderit, se non existimare idem esse. Et præmittendo, *nobis omnino licere cogitare*, significasse se, hæc tantum propter imperfectionem intellectus humani sic explicari. Medit. p. 271.

I I I.

Resp. 1. Locutionem hanc, *Deum esse causam efficientem sui ipsius* eum non rejecisse ut falsam, sed præterisse tantum, *ne de verbis disputetur*, vidimus Disput. præced. thes. 11. 12. 2. Hunc *cogitandi* five *considerandi* modum quem nobis *omnino* licitum esse ait, theologiæ & naturæ contrarium esse, docuimus ibid. thes. 17. 3. quod recurrit ad *imperfectionem intellectus humani*, repugnat ei quod ante asseruit, nēpe *Negativam acceptionem* hic esse à sola intellectus nostri imbecillitate, suam vero *positivam* à rerum veritate. Medit. p. 118. hic contrarium audimus. itaque hæc est retractatio magis quam solutio. 4. Nec juvatur imbecillitas intellectus nostri si contrarium ab eo quod
in.

in natura reperit concipiat, sed pervertitur.

IV.

2. Docuisse se ait, nullam rem existere, in cuius causam efficientem non liceat inquirere, vel, si non habeat, cur illa non indigeat postulare. talem esse Deum, cuius POTENTIA causa sit, sive ratio, cur causa non indigeat. hanc causam, cur causa non indigeat, esse positivam. Medit. p. 184. 271. 272.

V.

Resp. 1. Et hoc merum effugium est. Aliud enim est quærere *rationem* cur Deus *causa efficiente non indigeat* (quæ ratio aliunde quam à causa efficiente peti potest) aliud cogitare aliquid quod Deo idem præstet quod *causa efficiens* suo *effectui*, 2. Ipse auctor hic se prodit, cum ad immensitatem *potentia* recurrit, ea enim tantum consideratur in ordine ad operationes (v. Disp. præced. thes. 13.) itaque per hoc relabitur ad causam efficientem.

VI.

3. Negat se videre quomodo de Deo non ut trino, sed ut uno agitur, cur nomen causæ tantopere sit fugiendum; præsertim cum existentia Dei demonstranda intersiat. Atqui (inquit) considerationem causæ efficientis esse primum & præcipuum medium, ne dicam unicum. quod habeamus

E. 5

mus

mus ad existentiam Dei probandam, putor omnibus esse manifestum. p. 274.

VII.

Resp. 1. Hic manifesto negat nomen causæ in proposita quæstione (nempe an Deus sit à se tanquam à causa) esse fugiendum. itaque tergiversationes suas præcedentes in lutum proturbat. 2. Theologiæ ignorantiam crassissimam prodit, cum id nomen in Deo ut trino fugiendum concedit, in eodem ut uno non item. Atqui contrarium est verum, nam in doctrina Trinitatis personarum veteres *causa* vocabulo libere usi sint, in doctrinam autem unitatis divinæ essentiæ, illud nunquam ad miserunt. 3. Argumentum à causa efficiente petitur, quo probamus existentiam Dei, non nisi palpabili sophismate hic adhibetur. quo enim sensu eo argumento utimur? An ut Deum esse demonstramus per causam efficientem ipsius Dei, vel aliquid quod Dei respectu rationem causæ efficientis habeat? an veto, ut ex effectis probetur, Deum omnium quæ extra se existunt causam efficientem esse? hoc posterius est in confesso, prius vero inauditum, tantum abest ut sit unicum medium quo demonstramus Deum esse. quis hoc unquam tentavit præter Cartesium? sed addit:

VIII.

4. Illud autem accurate persequi non possumus,

possimus, nisi licentiam demus animo
nostro, in rerum omnium, etiam ipsius
Dei, causas efficientes inquirendi: quo e-
nim jure Deum inde exciperemus, prius-
quam illum existere sit probatum? p. 274.

IX.

Resp. 1. Hoc jam multo deterius est.
Quid? quia Deum esse omnium rerum
causam efficientem è creaturis colligimus,
etiam in ipsius Dei causam efficientem in-
quirendi licentiam habemus? quasi non
per creaturas ad Deum ut causam primam,
cujus proinde nullam dari causam intelli-
gimus, ascendamus. id vero excludit in-
quisitionem de causa Dei efficiente. 2. At,
inquit, quo jure Deum inde exciperemus,
priusquam illum existere sit probatum?
imo, inquam ego, quo jure in ejus cau-
sam efficientem inquires, quem nondum
scias existere? 3. quod hic supponis non
cohæret cum fundamento tuæ demon-
strationis, nempe esse nobis ingenitam
Dei ideam, ex qua passim ejus existentiam
deducis. male ergo in demonstrationis
progressu, hoc principium animo excutis,
& existentiam Dei per causas efficientes,
quæ nusquam sunt, venari jubes.

X.

5. Si, inquit, hæc interpretatio (nega-
tiva)

F 6.

tiva) verbi à se admitteretur, nulla posset ab effectibus haberi ratio ad existentiam Dei demonstrandam. ut recte in primis objectionibus ab ipsarum auctore probatum est. ideoque nullo modo est admittenda. p. 275.

X I.

Resp. 1. Ego hanc probationem in auctore primarum objectionum non invenio. 2. est prorsus inconsequens: Deus non est ab alio, ergo *ex effectibus* ejus existentia demonstrari non potest. quin contrarium inde concluditur: ergo *ex causa efficiente* ea non potest demonstrari. quod est verum.

X II.

6. Dicit se, quamvis admiserit, *Deum* dici quodammodo posse sui *causam*, nullibi tamen illum eodem modo sui *effectum* nominasse, quia scilicet *effectus* ad *efficientem* præcipue solet referri, & illâ esse ignobilior &c. p. 279.

X III.

Resp. Hæc ita dicuntur, quasi Cartesius tantum dixerit, Deum sui *causam* posse dici, non autem *efficientem*, ac ne hoc videretur velle, etiam *effectus* vocabulum refugisse, quia id ad *efficientem* solet referri &c. Verum non ita res habet. nam *efficientis* & *effectus* vocibus usus est, cum diceret,

liceret, nobis omnino licere cogitare, Deum
idem prestare respectu sui ipsius, quod cau-
sa efficiens respectu sui effectus. pag. 119.
Hæc ergo tergiversatio est, non respon-
sio.

XIV.

7. A causa efficiente dejectus, recipit se
ad causam formalem, atque ita manifesto
transit de genere ad genus. hoc ut cum ali-
quo colore faciat, *Conceptum quendam
communem esse ait causa efficiens & for-
malis, ita scilicet, ut quod est ab alio, sit
ab ipso tanquam causa efficiente, quod au-
tem a se, tanquam à causa formali.* p. 275.
v. & p. 272.

XV.

Resp. 1. Hæc aberrant ab ostio, ob ratio-
nem jam dictam. 2. Nullo modo potest hic
sensus esse hujus divisionis, tantum abest ut
hoc per se notum sit. quæ enim hæc erit
divisio: Omne ens est vel à se *formaliter*,
vel ab alio *efficienter*? cum hæc membra
coincidant in omnibus creaturis, sunt e-
nim à se *formaliter* (si ita licet loqui) id est
per suam, & non per alienam formam, ab
alio vero *efficienter*, puta à Deo. non ha-
bent ergo membra hujus divisionis veram
oppositionem. 3. Quod ita explicat poste-
rius membrum, ut esse à se *formaliter*, sit
habere talem essentiam, *ut causa efficiente
non egeat.* ib. ipse incidit in sensum negan-
tem

tem quem oppugnat. hoc modo: Deus per formam, .i. essentiam suam (ita vox hæc usurpatur. Phil.2.6. v. & Cartes. p.278. 279.) talis est, ut causam efficientem nec habeat nec habere possit. hoc autem est esse à se negative, non positive. 4. Quod conceptum quendam communem esse ait, causæ efficientis & formalis, facile damus, sed nunquam probabit, vel formæ vel essentia conceptum, extendi ad conceptum causæ efficientis respectu ejusdem. Imo, quod *causa efficientis proprium est, ad formalem extendi non posse*, ipse fatetur p. 278. quod autem utrique commune est, quicquid tandem illud sit, vel esse fingatur, non facit ut alterum alterius rationem habeat: quum per differentias oppositas à se invicem dirimantur.

XVI.

8. Quæ affert è Mathematicis, qui *conceptum lineæ circularis quam maxima per conceptum lineæ rectæ, conceptum circuli per conceptum polygoni &c. explicare vel demonstrare solent*. p.276.278. meram ostentationem habent. nam omnes manent in eodem genere, .i. figura (quæ forma quodam est) at Cartesius transit de genere ad genus, id est, de forma ad efficientem. quale nihil est in fictionibus, illis Mathematicis.

XVII.

XVII.


Ex iis quæ disseruimus, censemus distributionem entis à se & ab alio perperam Catesio explicatam esse, & propositionem hanc: *Deum esse à se positive, & ut à causa efficiente*, à limine Theologiæ arcendam esse.


2. Tim. 2. 16.


Γὰς ὁ βεβήλως κενοφωνίας πειρῆσασο
ἐπὶ πλείον γὰρ προκόψασιν
ἀσεβείας.


F I N I S.


Jo: Balcan: A: x: x d. 110























Herforder

115-

